

Ex dono Auctoris Principis et Episcopi Paderbornensis.

# POEMATA FERDINANDI LIBERI BARONIS DE FURSTENBERG.


POEMATA
FERDINANDI LIB. BARONIS DE FURSTENBERG.
Accedunt
Adoptivorum Carminum Libri II.
Editio altera priori auctior.
AMSTELODAMI,
Apud Danielem Elzevirium.
M DC LXXI.
SUA-VITER
FOR-TITER
Th. Matham Sculp.



REVERENDISSIMO ET
ILLUSTRISSIMO VIRO,

# WILHELMO

LIBERO BARONI

DE FURSTENBERG,

PRÆPOSITO MONASTERIENSI,

CHOREPISCOPO TREVIRENSI,

CANONICO SALISBURGENSI
ET PADERBORNENSI,

PRÆPOSITO COLLEGIORUM IN
BUSDORFF ET MESCHEDE,

PRIORI S. MARIÆ DE CAMPEIO
IN ALPIBUS TRIDENTINIS,

CONSILIARIO INTIMO MONASTERIENSI,
AVUNCULO SUO

S. P. D.

CHRISTIANUS THEODORUS
de Plettenberg ex Lenhausen, Canonicus Hildeshemensis.

*SIquis eâ ætate, quâ Populus Romanus, toto propemodum orbe terrarum, omnia armis domita in suam potestatem redegerat, & paribus Imperio suo florebat ingeniis, Poëticam nobili-*

*tati indecoram esse non dubitasset affirmare, is profectò furoris & insaniæ compertus, in Anticyram insulam relegatus fuisset. Jam verò in Germaniâ nostrâ, quæ adhuc Romanorum Imperatori paret, & Romani Imperii nomen retinet, eoque vocabulo ab aliis regnis provinciisque distinguitur, tantopere perniciosus ille error increbuit, ut contrà disputare & falsissimam istam opinionem omni studio & contentione refellere, cùm omnibus popularibus nostris, tum nobilibus maximè juvenibus, unà mecum in ætatis flexu, ac veluti bivio quodam constitutis, aut lubricum juventæ nondum egressis, non utile tantùm, sed etiam necessarium esse videatur. Ita enim ratiocinantur passim homines nobiles, qui alios ea volunt ignorare, quæ ipsi vel hebetudine mentis, vel inertiâ, aut voluptatum cupidine non didicerunt, ut eos, qui carminibus pangendis inesse sibi ingenium atque doctrinam ostendunt, ludo potius ac ferulæ, quàm reipublicæ bene gerendæ natos esse affirment, & in solitudines atque cœnobia sese abdere jubeant; eos verò qui ad eximiam atq; natalibus suis dignam*

*clari-*

*claritudinem pervenire, atque vel ipsi populos imperio regere, vel dominantibus assistere cupiunt, longè aliâ ad gloriam viâ grassari, aliis artibus ac studiis omnem operam atque industriam impendere; carmina verò, ut ludicra & inania ac prope puerilia, vel nescire prorsus, vel certè contemnere oportere contendant. Qui quidem sermones tantam hoc ævo apud nobiles juvenes fidem invenerunt, ut etiam sacerdotiis ornati, & aris templisque destinati, pugilatum potius, aut regimen equorum exercere, aut venando peragrare saltus, aut conviviis & compotationibus bonum otium conterere, quàm dulces ante omnia Musas, & amœnissima bonarum artium studia sectari, sibi suisque familiis honorificum esse arbitrentur. Hi autem primùm omnium docendi sunt, Poëticam non esse rem sordidam & abjectam, sed excelsam prorsus atque divinam, & ab ipso mundi exordio generis humani consensu laudatam. Quia enim non perinde ac aliæ pleræque disciplinæ & artes, à quibuslibet ingeniis improbo tandem labore & assiduâ exercitatione paratur; sed paucis iisdemque præ-*

*ſtantiſſimis mentibus ſingulari quodam divini Numinis afflatu contingit, vetuſtiſſimis Poëtarum tantus honos eſt habitus, ut Diis geniti, eorumque interpretes atque convivæ crediti ſint, neque Deos ipſos aliter loqui ſuavitate carminum obſtupefacti homines exiſtimaverint. Inſequentibus autem ætatibus, & multò elegantiſſimi Poëtæ ſunt exorti, & ſummi Philoſophi ac ſapientes, Plato & Ariſtoteles, Solon & Thales, aliique doctrinæ famam ſibi abſque Poëſi quærendam non eſſe judicaverunt, & maximi Reges, atque clariſſimi Imperatores egregios vates, eorumque Poëmata veris pretiis æſtimaverunt. Quorum ſine dubio princeps Alexander Magnus tanti Poëticam fecit, ut Thebis expugnatis atque incenſis, Pindari ædibus atque familiæ pepercerit, & Homeri Iliadi, unà cum gladio illo invicto ac domitore orbis terrarum, ſuo pulvinari ſuppoſitæ ſemper indormire, eamque in pretioſiſſimo Darii ſcrinio collocatam circumferre voluerit, eóque maximè felicem prædicaverit Achillem, quod talem tantumque virtutis ſuæ præconem nactus fuiſſet.*

*Nec*

*Nec solùm Græci liberalibus disciplinis exculti, sed etiam barbari Septentrionis populi maximum Poëtis honorem habuerunt. Cujus sanè illustre exemplum Dania olim præbuit, quando neminem Poëtâ digniorem regno judicavit. Id quod Saxo Grammaticus l. 6. Hist. Danicæ his verbis testatur.* Defuncto Frothone, *inquit*, Dani Fridlevum qui apud Rusciam educabatur, falsò extinctum rati, cum jam Regnum Regis inopia claudicare, nec in Regia gente continuari posse videretur, hunc sceptro dignissimum arbitrati sunt, qui illustrandi Frothonis gratia, recenti ejus tumulo plenum laudis carmen affigeret, famamque extincti Regis specioso posteris titulo commendaret: Tunc quidam Hiarnus Danicæ admodum Poësis peritus, ut claritatem viri insigni dictorum monumento prosequeretur, præmii magnitudine concitatus, more suo barbarum condidit metrum, &c. Quo carmine edito auctorem Dani diademate remunerati sunt. Ita ab iis epita-

phium Regno repensum, Imperiique pondus paucarum literarum contextui donatum est. *Romana verò Respub. uti cæteras gentes rerum præclarè gestarum gloria, & Imperii magnitudine superavit, ita & literarum atque inprimis Poëseos amore longè antecelluit: nobilissimi enim ac potentissimi quique Romanorum Musas mirificè coluerunt; inter quos Scipio Africanus Ennium Poëtam sibi familiarissimum, atque in omnibus expeditionibus assiduum comitem adscivit, eumque & vivum & mortuum magno honore honestavit. Inde certatim Senatores, Consules, Imperatores, Dictatores & Principes, L. Sylla, Hortensius, Cicero, Sulpitius, Varro, Torquatus, Messala, Brutus, & alii cum eloquentiæ laude, & amplissimis honoribus atque triumphis Apollinarem lauream conjunxere. Maximè verò in hoc genere admirabilis fuit C. Julius Cæsar, qui etsi modis omnibus incitatâ militum celeritate tam brevi tempore vicerit orbem terrarum, ut vix tabellarius quisquam velocius eum percursare potuisse videretur, nihilominus in tanta festina-*

*stina-*

*ſtinatione ac mole curarum verſus facere, & itinera ſua atque res geſtas in carmen conferre non omiſit. Mox feliciſſimus omnium ac potentiſſimus Imperator Auguſtus, & ipſe luculenta carmina factitavit, & ſummorum Poëtarum ingenia, quibus ea potiſſimum ætas effloruit, inſigni benevolentiâ ac humanitate complexus eſt, & Populus Romanus ad exemplum Principis ſui compoſitus,* [1] auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, & præſentem forte ſpectantemque Virgilium ſic, quaſi Auguſtum eſt veneratus. *Exin Tiberius, etſi triſti arrogantiâ atque ſuperbiâ, & immani crudelitate inteſtabilis, Muſis tamen ſe facilem ac benignum præbuit, & Lyricum carmen ac Græca Poëmata reliquit. Germanicus autem Cæſar, quô nihil majus meliuſque fata Romanis oſtendiſſe mihi videntur, ut omnes ante ſe duces bellicâ gloriâ æquavit, comitate & continentiâ, cæteriſque virtutibus vicit, ita & Poëticâ laude ſuperavit. Sed & Claudius Imperator hac arte non caruit, & Ne-*

*ro*

1 Quintilianus in dialogo de oratoribus.

*ro carmina libenter ac ſine labore compoſuit, quod adeò non improbavit Seneca, ut majori quàm antea ſtudio Poëſin complexus, tragœdiis ſcribendis facundiam exercuerit: neque id ei fuit impedimento, quò minus* [2] *Imperio Populi Romani unus omninum digniſſimus eſſe crederetur. At Domitianus, quamvis crudeliſſimus tyrannus, Poëſeos tamen pulcritudine ita captus, atque mollitus eſt, ut & ipſe Poëmata ſcripſerit, ac recitaverit, & erga Statium atque Martialem beneficum ſe & liberalem oſtenderit. Titus autem Imperator, & Nerva, generis humani delitiæ, omnes, quibus excelluere, virtutes carminum ſuavitate condierunt; & Hadrianus, Ælius Verus, Alexander Severus, Balbinus, Gordianus, Albinus, Macrinus, Gallienus, Numerianus, Julianus, Gratianus, Theodoſius, Imperatoriam virtutem eſſe Poëſin ſuo exemplo docuêre. Proximos autem Imperatoribus honores iis quoque tempeſtatibus eximii Poëtæ ſunt adepti, cujus rei teſtes ſunt Silius Italicus, Plinius junior, Auſonius, Boëtius Con-*

2 Tacit. annal. Lib. XV.

*Consules, Lucanus Augur, aliique amplissimæ dignationis insignibus ornati; in quibus fuêre Claudianus atque Sidonius Apollinaris, quorum illi Arcadius & Honorius, huic Leo & Majorianus A.A. ob præclara Poëmata statuas in foro Trajani, flagitante Senatu, erigi collocarique jusserunt: Apollinaris autem tantæ apud Majorianum fuit auctoritatis, ut eo consiliante cum Theodorico Gothorum Rege pax facta, & ipse mensæ Augustæ admotus, atque Comitis titulo sit honestatus; qui postea Arvernensium Episcopus creatus, hoc munere præclarè gesto cælo receptus est, & Sanctorum catalogo adscriptus in Romano Martyrologio reperitur. Posthæc everso à barbaris Imperio Romano, concidit quoque Poëtica facultas; attamen reliquiæ ejus & rudera tanti à D. Carolo Magno, ejusque vestigia secutis Imperatoribus sunt æstimata, ut quivis facile possit intelligere, quanto vigentis atque florentis Poëseos amore fuissent arsuri, qui mortuæ pridem ac sepultæ umbram & simulacrum tali benevolentia sunt complexi. Jam verò cum ante ducentos circiter annos illustrium viro-*

*virorum operâ, velut è cælo delapsa, redierit in orbêm terrarum, & à summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus atque Principibus non solùm per Italiam, tanti boni originem, aliasque præcipuas Europæ provincias, sed etiam Germaniam, ipsomet Augustissimo Cæsare Maximiliano I. Poëtices cultore, & Mauritio Hassiæ Lantgravio egregio Poëta gloriantem, ac VVestphaliam nostram, à viris genere ac virtute præclaris Rudolpho Langio, Canonico Monasteriensis Ecclesiæ,*

([3] Primus Melpomenen qui rura in
VVestphala duxit,

*imò qui primus Germanorum, post restitutas literas, eruditum carmen scribere cœpit) & Hermanno Buschio, atque Alexandro Hegio, id temporis illustratam, honorificentissime sit excepta, quid, obsecro, causæ est, cur hac tempestate nobiles Germani, quanquam ita geniti, atque ab ipsa natura formati, ut altissima quæque ac præstantissima cupiant, humilia verò atque plebeia aspernentur, nobilissimam illam artem indignis modis*

3 Alexander Hegius in epigram.

*modis despiciant, atque traducant? Verum enim verò si cum Gothis potius & VVandalis, Hunnis ac Longobardis eam proterere atque conculcare, quàm cum Imperatoribus ac Regibus, aliisque summis viris complecti animis obstinaverint; nunquid & omnipotentis DEI oracula despicient, quibus ea, quæ in laudem Poëseos diximus, perspicuè comprobantur? Si Linum & Amphionem, Orpheum atque Ariona, tractasque carminibus sylvas, & saxa, ferasque, & animalia maris cicurata derident, quanquam hisce fabulis homines barbari, ac ferarum & piscium more vagantes, dulcedine carminum ad civilem societatem traducti significentur; nunquid verissimis maximisque miraculis illustrem Vatem, Deo Opt. Max. familiarissimum, Sacerdotum, Ducum, & Prophetarum facile Principem, Moysen*[4] *ignorare se aut ludibrio habere profitebuntur? Si omnibus rempublicam capessentibus, aut gubernantibus Poësin indecoram, ac noxiam esse contendunt, num Davidem*[5] *quoque maximum*

*Regem*

4 Josephus lib. 11. de antiquitat. Judæorum.

5 Idem Josephus lib. 7. & S. Hieronymus præfat. in Chron. Eusebii.

*Regem & Vatem detrectare audebunt, cujus versibus in hodiernum usque diem, & in omne tempus Deum Opt. Max. gaudere, nobisque propitiari credimus atque confidimus? Si versus facere & insanire contigua esse atque finitima jaciunt, an Salomonem quoque deliramenta locutum esse prædicabunt, omnesque sacrosanctos Prophetas explodent, qui divino Spiritu instincti fudêre carmina, & cælestia quæ videbant arcana cecinêre? Longè alia mens fuit sanctissimis atque disertissimis viris, Cypriano, Paulino, Hilario, Ambrosio, Fulgentio, & Gregorio Nazianzeno, qui Christianam disciplinam non solutâ tantum oratione, sed etiam versibus mirabiliter illustrarunt, ac veluti Patres & Præceptores ab Ecclesia Catholica ubique coluntur. Nec inferius majestate sua ratus est idem studium summus Pontifex S. Damasus, eumque secuti multis post ætatibus rerum gestarum gloria clarissimi Principes, Pius Secundus, Leo Decimus, & hoc ævo Vrbanus Octavus, cui potissimùm à nobis immortales gratiæ debentur, quod ab eo in hasce regiones cum imperio missus*

*est*

*est Fabius Chisius, Episcopus Neritonensis, flos Italicæ nobilitatis, & bonarum artium decus & columen, qui suâ cohortatione atque exemplo nos docuit, artem Poëticam non esse vulgarem ac tenuem, & imi tantùm subsellii viris convenientem, sed hominibus veteris prosapiæ ac multarum imaginum maximè decoram, cumque familiam Furstenbergicam hac opinione pridem imbutam, & communis inscitiæ ac erroris expertem, atque duobus præcipuè laudatissimis viris, & Poëticæ cultoribus, Theodoro Episcopo & Principe Paderbornensi, ejusque germano fratre Casparo Furstenbergio, VVestphaliæ & Angariæ summo cum imperio olim Præfecto, avo tuo, celebrem atque illustrem comperisset, eximiâ eam charitate diligere cœpit, Teque inprimis, Vir Illustrissime, & fratrem tuum Ferdinandum, quos & ingenii bonitate & domesticis incitatos exemplis, maximos in omni politiori literaturâ videbat facere progressus, in sinu ac deliciis habuit, suasque* Musas juveniles *à vobis potissimùm typis evulgari permisit. Cardinalis factus, quanquam immensis occupa-*

*tionibus prope obrueretur, nihilo tamen minus, quod aliquando dixit Antiphanes apud Athenæum*, Musas inter & literas versatus assiduè, quoties agebatur sapientiæ negotium, *frequens cum eodem Ferdinando suavissimè de Musis sermocinari solitus est, ac biduo ante, quàm Pontifex Maximus crearetur, venustissimo carmine hexametro comitia Vaticana descripsit, ac Ferdinandum suum eo munere impertivit. Rerum potitus eundem confestim secretum Cubicularium creavit, & inter intimos amicorum tenuit, ac ferme quotidie, complures à prandio horas, tam de republicâ, quàm de liberalibus disciplinis cum eo colloqui, atque in hunc modum intervalla negotiorum elegantissime dispungere consuevit. Quemadmodum autem huic Pontifici verè Maximo purpuram inprimis, dein Summum Pontificatum invidia nequicquam præpedire connixa est, & instar araneæ ex amœnissimi ejus ingenii floribus venenum exsugens, rei Poëticæ scientiam ei vitio vertit, ita & Ferdinandum simili modo allatravit, ac illud Martialis ei objectare visa est.*

Linguâ doctus utrâque, cujus unum est
Sed magnum vitium, quod est Poëta.

*Veruntamen hisce obtrectationibus nihil aliud quàm sibi dedecus, illi gloriam peperit. Nam* ALEXANDER *Pont. Opt. Max. paucis post annis eum Episcopum & Principem Paderbornensem rite electum, totâ Urbe, ac republicâ literariâ, bonisque omnibus applaudentibus confirmavit, & ubi ductu atque auspicio suo rem optime gerere, & sicuti Poëseos amore cultuque, certis numeris ac legibus, & exactæ atque concinnæ verborum ordinationi insueverat, ita & in administratione reipublicæ, nihil agere confuse, ac perturbatè, sed omnia apud eum disposita, moderata, tranquilla, priscam gravitatem ac majestatem ordinis ac dignitatis Pontificiæ retinere comperit, ampliori dignum ratus imperio, Monasteriensis infulæ cum Paderbornensi conjungendæ potestatem ei & copiam fecit. Atque utinam prælium illud insigne, quô copiis omnibus in aciem eductis, valida factio cum Ferdinando conflixit, ac malè pugnavit, hoc est, comitia Monasteriensia, totumque de futura in*

*locum ejus Episcopi successione certamen, & alumni sui gloriosissimam victoriam atque triumphum vidisset, quæ paulò antè rebus humanis exemptus è cælo prospexit! Veruntamen quod ea* CLEMENTE IX. *imperitante sunt gesta, ad laudem quoque Poëseos ac gloriam pertinet, cujus hic Pontifex fuit eximius cultor, teste viro eloquentissimo Augustinò Favorito, qui die funeris eum pro concione laudavit*, ita ut Urbanus VIII. cum ab immensâ curarum mole aliquam remissionem animi quæreret, nullâ in re magis quàm in familiari Clementis consuetudine eam inveniret, delectatus præsertim mira illius ad sacram Poësin dexteritate, in quâ se Gregorii Theologi, aliorùmque veterum Patrum exemplo aliquando exercebat, tantâ cum Romani theatri atque universæ Italiæ approbatione, ut in eâ facultate sæculi sui facilè princeps esset & haberetur. *Hic itaque sanctissimus atque doctissimus Pontifex* CLEMENS IX. *in tuenda atque ornanda familia Furstenbergica decessorem*

*suum*

*suum egregiè imitatus, in celeberrimo illo, quod dixi, de re Monasteriensi certamine victorem pronunciavit Principem Ferdinandum, illamque provinciam longè amplissimam ei decrevit, ita ut aliquando à confluentibus Visurgis & Dimolæ usque ad Oceanum sit imperaturus. Te autem, Vir Illustrissime, ab* ALEXANDRO VII. *fratri tuo Episcopo & Principi creato suffectum, & amplissimis sacerdotiis ornatum, atque ad Cæsarem, & omnes Catholicos Electores & Principes, augustissimum Ratisbonæ concilium habentes, ablegatum, post illius excessum, idem* CLEMENS IX. *è Germania in Palatium ac secretum cubiculum suum revocavit. Quod & hic Pontifex* CLEMENS X. *se præstiturum fuisse testatus est, nisi tu post fata* CLEMENTIS IX. *præpropero ab urbe discessu, Germanicum tibi jam cælum Italico magis placere ostendisses. Quò sæpius mihi libet mirari, ac detestari etiam incredibilem quorundam hominum perversitatem, qui nobiles viros ludo & aleâ, luxuque & comessationibus, aliorumque vitiorum similitudine*

*benevolentiam Principum adeptos collaudant, Vos autem sanctissimis atque innocentissimis moribus, & optimarum artium studiis in regia totius orbis Christiani gratiam, dignitatem, honorem consecutos cavillantur. Quid enim per Deum immortalem nobilitati totique nationi Germanicæ magis honorificum ac utile potest esse, quàm nobilissimos atque doctissimos gentis nostræ viros, à Summis Pontificibus honorari, amari atque in intimam familiaritatem admitti? eorum opera ac patrocinio sacerdotia, atque omnis generis beneficia, optimis atque dignissimis contingere; ab his consilia Reipublicæ salutaria suggeri; Germanos in urbe commorantes ad Pontificem, & eminentissimos reipublicæ Christianæ Proceres, aliosque ornatissimos atque optimos viros deduci, atque in hunc modum arceri à vitiis, & ad virtutem ac gloriam inflammari? Quæ quidem omnia Vos cumulatissimè præstitisse Vrbs Roma, ac fortè paucis invidentibus exceptis, universa Germania testatur. Quapropter omnes vestros propinquos, amicos, clientes, meque inprimis, qui & Vos &*

*avum*

*avum vestrum, meumque proavum Casparum Furstenbergium imitari, ac Jurisprudentiam cum humanioribus literis conjungere decrevi, summa ope niti decet, ut Furstenbergicæ virtutis ac gloriæ comes invidia, sæpe jam fracta ac debilitata, magis magisque contabescat. Quod equidem pro mea virili non aliter efficere posse mihi sum visus, quàm si omnia Poëmata, quæ Princeps Ferdinandus vel ipsemet fecit, vel ab aliis sibi dicata habuit in suis, & quodammodo adoptavit; postremò quæ ab avo ejus paulò ante memorato Casparo Furstenbergio scripta, & huic, & Episcopo ac Principi Theodoro, ac Furstenbergicæ familiæ ab egregiis viris oblata sunt, studiosè sublegerem atque emitterem, ut eximia eorum elegantia ac nitore oculos invidiæ perstringerem, ac everberarem. Hoc autem opus ea, quam dixi, ratione tripartitum, & priori quidem Ferdinandi Poëmatum editione longè auctius, Tibi, Vir Illustrissime, dedicandum esse censui, quem profectò non minùs germani fratris, quàm Philomathis Musæ diligunt, & in tuos amplexus venire gestiunt. Suscipe*

cipe

*cipe igitur eo, quo fratrem inclytum complecteris, amore monumentum hoc ære perennius virtutis ejus atque doctrinæ, ac testificationem pietatis & observantiæ erga te meæ, quam non alia tibi ratione melius mihi videor posse declarare, quàm hoc munere, quo fratrem Principem, quem populi ei subjecti dolent esse mortalem, ingenii sui fetibus immortalem Tibi sisto. Vale. Paderbornæ Kal. Maii.* CIↃ. IↃC. LXXI.



D A-

# DAPHNIS,

SIVE

# FREDERICUS FURSTENBERGIUS,

PARENS,

*Bilſtenii & Waldenburgi Dynaſta; Advocatus hereditarius in Grafſchaft; Schnellenbergæ, Watterlappiæ, Furſtenbergæ, & Herdringæ Toparcha; Satrapa Fredeburgenſis; Weſtphaliæ & Angariæ Archiſatrapa, & Sereniſſimo Ferdinando Electori Colonienſi ab intimis Conſiliis*, anno M.DC.XLVI. V. *Idus Auguſti Bonnæ defunctus.*



Miſii virides umbrat quà plurima ripas
Fronde ſalix glaucâ, Lycidas hinc, Tityrus
    illinc,
Alter oves, alter paſcebat fortè capellas.
Tityrus, ut ſemper, pellebat tædia cantu.
Carmina dum Veledæ memorat, dum prælia Vari.
Varus ut his olim nomen memorabile terris
Fecerit: ut ſparſi legionum ſanguine campi:
Aurem illi vellit Lycidas: Neque talia tempus
Carmina poſcit, ait: Daphnis tibi, Tityre, Daphnis
Lugendus: Daphnin, ſi neſcis, fata tulere.
Tityrus ingemuit caſu perculſus acerbo:
Fiſtula lapſa manu eſt: fugit ſenſuſque colorque.
Ut mens, ut rediit puero vox: Occidis, inquit,
Carum, Daphni, caput; ſpes, Daphni, decuſque tuorum!

Ab dulci patria procul, amplexuque tuorum
Occidis! Hoc fuerat, quòd summæ culmine villæ
Tristia signa daret ferali carmine bubo;
Flebilibus quòd sponte modis mea nuper arundo
(Hanc mihi tu, dederat Corydon tibi, Daphni,) sonaret,
Nunc sileat, ramoque infelix pendeat illo.
Vos etiam sine me (quamvis mihi vos quoque Daphnis
Tradidit, atque abiens, Has, inquit, Tityre, pasce)
Ite tamen sine me, quoquò lubet, ite capellæ.
Amnis, & umbrosæ salices, & rura valete:
Usque ego per silvas errans desertaque solus
Tristè querar. Gemit erepta sibi matre juvencus,
Nec minus amisso mater dolet orba juvenco:
Mella queruntur apes cellis subducta, peremtos
Fœta canis catulos, demtos avis arbore pullos;
Daphnin ego, tristi sublatum funere Daphnin.
Supremas saltem voces morientis ab ore
Excipere, affari extremùm, & spectare jacentem,
Atque oculos nostrâ licuisset condere dextrâ!
Vulneribus nonnulla meis solatia saltem
Hæc ferret pietas: solus de Daphnide luctus
Nunc superest. Pecudes illo quis pascat ademto,
Avertatque luem, curamque impendat & artem?
Daphnide non melior quisquam depellere venis
Implicitam pestem, & membris agere atra venena.
Daphnis & insidias stabulis prædasque cavebat.
Ah gelidas quoties hiemes perpessus & imbres,
Pervigil exegit brumali sidere noctem,
Incustoditum fera ne vastaret ovile,
Ne lac subtraherent pecori, ne vellera fures!
Ah quoties humeris per devia sustulit ipse
Rupe parens nudâ quos nixa reliquerat hœdos!

Angarides Nymphæ testes, quas sæpe laborum
Miratas dixisse ferunt: Mortalia non sunt
Quæ tolerat: saxo certè riget ille vel ære,
Quem neque ventorum rabies, pluviæque, nivesque,
Non cælum inclemens, non ulla injuria frangit.
Nymphæ, non saxo Daphnis neque constitit ære.
Occidit heu! & nos pariter, terrasque reliquit.
Nequidquam roseum spargis jubar, aureè Titan:
Gratius extinctum nobis in Daphnide lumen.
Daphnidis adventu tellus ridebat & æther,
Frondebant silvæ, spirabant floribus arva,
Ipsi lætitiâ montes plausuque fremebant:
Daphnidis interitu tellus lugebit & æther,
Squalebunt silvæ, stabunt sine floribus arva,
Intonsi montes gemitus ad sidera tollent.
Ergo nil proavûm series, regnataque latè
Rura juvant, centumque greges, armentaque centum,
Nil labor, & studium pulchræ virtutis, & artes?
Ergo cinis, formâque carens & triste cadaver
Nunc jacet illè omnes nuper pulcerrimus inter
Pastores! nec sidereâ fulgentia luce
Lumina, nec vultum, quem finxerat ipsa venustas,
Cernere erit posthac? At non, quæ sustulit illum,
Mors, etiam famam tollet. Sint tempora Musis
Non inimica meis, volitabis Daphni per ora.
Ipse ego virtutesque tuas, tuaque inclyta facta,
Invictamque fidem, & sanctæ pietatis amorem
Ferre Syracosio tentabo ad sidera versu.
In partem veniet Phœbo dilectus Amyntas,
Et mecum teneris passim tua nomina fagis
Inscribet: crescent illæ, tua nomina crescent.
Quin etiam niveo tumulum de marmore Damon

 Exstruet,

Exſtruet, & tali ſignabit carmine marmor:
HIC SITUS EST DAPHNIS. QUOD ERAT MORTALE, SEPULCRO
INTULIT ATRA DIES: VIVET PER SÆCULA NOMEN.
Ad tumulum venient, inſtaurabuntque quotannis
Paſtores tibi cum donis funebria juſta.
Vina dabunt alii, purum lac adferet Ægon,
Et, Tibi, ſuſpirans, puro magè candida lacte
Pectora, dicet, erant, & fraudis neſcia, Daphni.
Ipſe apium, ipſe hederas, & noſtris lilia ſpargam
Humida de lacrymis, teque ad tua ſacra vocabo.
Talia jactantem ſupremo lumine veſper
Occupat, & primo conſpexit Lucifer ortu.

AD

# ALEXANDRUM VII.

## PONT. OPT. MAX.

*Anno* M. DC. LV. VII. *Id. Aprilis renunciatum.*

HUnc ceciniſſe diem, venturi præſcius ævi
Dicitur Aonias inter Apollo Deas.
Hunc fore, neglectas quò gloria tolleret artes,
Et faceret doctis vatibus ingenium.
Verba fides ſequitur: rerum molitur habenas
Orbis ALEXANDER natus ad imperium.
Ac velut exactæ poſt triſtia frigora brumæ,
Cùm ver jucundum floridus annus agit,
Ridet humus, ridet Zephyris ſpirantibus æther
Purus, & argutæ dulcè queruntur aves:

Exul-

Exultare novo sic Principe vidimus Urbem,
Et quot regna vagus circuit Oceanus.
Vidimus excitas Parnassi monte sorores
Aurea desuetæ tendere fila lyræ.
Vidimus Ausonios, genus immortale, poëtas
Præcingi sacrâ, quam meruere, comâ.
Lætitiam & Pacem (miseris vix cognitá terris
Numina, quas luctus semper & horror habet)
Ter Vaticani circùm delubra volantes
Audiimus reditus signa dedisse sui.
Audiimus lætas voces plausúsque canentûm
Vocibus & plausu Roma secuta suo est.
O mihi si populi sensus æquare canendo
Fas foret, & causâ digna dieque loqui!
O mihi si Phœbus vacuis dictaret in hortis
Grandia Romani carmina Callimachi!
Non ego, MAGNE PATER, celebrarem facta tuorum,
Non fultam titulis divitiisque domum;
Non maris Hetrusci portus & litora, quondam
Hercule, nunc proavis inclyta regna tuis;
Non belli claros studiis herbas, & altis
Adscriptos Superûm sedibus indigetes;
Nec quæ porticibus miramur nixa superbis
Atria, pressa Ducum Pontificumque pede;
Nec quas majorum pietas cælestibus aras
Struxit Apelleis conspicuas tabulis:
Sed te, qui titulos tantum præcedis avitos,
Quantum nocturnas Cynthia plena faces;
Et tua non humili memorarem nomina cantu
Extremas ultra solis itura vias,
Quà levat Eoo rutilantem gurgite currum,
Et quà poscentes otia solvit equos.

At non intacti mores, & quas rudis ætas
  Virtutes teneris duxit ab uberibus,
Et data Pieriis juvenilia tempora sacris,
  Carminis, ut quondam, res foret una mei.
Major equis pulsanda patet nunc area nostris,
  Quà Padus objectis æstuat aggeribus,
Quà centum populos, centum Ferraria [1] sospes
  Debet consiliis oppida salva tuis:
Seu circùm fremerent irati Cæsaris arma,
  Nec non adversos Mantua passa Deos:
Seu propiora movens Venetus discrimina miles
  Verteret Hadriacas ad nova bella rates:
Seu latè grassata lues, & turpis egestas
  Inferrent miseris urbibus excidium:
Seu Pater Eridanus campis undaret apertis,
  Deucalioneæ damna minatus aquæ.
Ille idem assiduis Cygni plangoribus, idem
  Certavit mœstis Heliadum lacrymis,
Cùm patriæ fines & rectas legibus urbes
  Linquentem ripis vidit abire suis,
Et Libycos tentare [2] sinus, ubi classibus audax
  Insula Threïcias depopulatur opes,
Europæque suæ custos delecta juventus
  Tutatur medii credita claustra maris.
Non secus Italiæ Cimbro natura minanti
  Alpinas visa est opposuisse nives.
Non secus occiduis inhiantem finibus Afrum
  Herculis objectis meta coërcet aquis.
O quoties Melitæ fortes hortatus alumnos
  Jussisti properâ vellere signa manu!

O quo-

1 Alexander VII, Ferrariæ Prolegatus Pontificius difficillimis temporibus belli, pestilentiæ, arctioris annonæ, & exundationis fluminum.
2 Melitæ Inquisitor.

O quoties Solymen, Aſiæque repoſcere regna,
Sceptraque Biſtoniæ frangere barbariæ!
Teſtis Neptunus, Tethys mihi teſtis, & omnis
Tritonum ſoboles, Nereïdumque chorus.
Illis cura fuit partos cantare triumphos,
Et tua cognatis facta referre Deis.
Me decet Arctoo ſpumantem ſanguine Rhenum
Dicere, nec patriæ bella ſilere meæ.
Infelix tellus, Romanâ clade tumentis
Arminii quondam ſigna ſecuta ducis!
Hei mihi, nunc ducibus nihilo melioribus uſa
Scinderis in partes, & nova ſacra colis.
At magno commiſſa luis. Quæ flumina belli
Neſcia? quævè tuo terra cruore caret?
Forſitan & Divos nondum ſibi ſentiet æquos,
Et mala cùm tulerit plurima, plura feret.
I celer, inſtantem capiti defende ruinam:
I celer, & longæ vince pericla viæ.
Non te Sicanii tardent fera murmura ponti,
Non formidatæ navibus inſidiæ;
Non rigor Alpinus, non frigore ſaxa perenni
Horrida, non duro flumina vincta gelu.
Hîc Ubios, [3] dominâ deductos Urbe colonos,
Et flavos viſes impiger Uſipios.
Tum dextram tendes populis, quos Luppia noſtris
Cædibus infectâ decolor ambit aquâ,
Et quos bellipotens olim ditione premebat
Accola vicini Bructerus [4] Amiſii:
Nunc ubi conventu mundi coïere vocato
Diſcordes ſtudiis conſiliiſque Patres,

 Diſcor-

3 Nuntius Pontificius Coloniam, & inde Monaſterium pacis conciliandæ gratiâ miſſus. 4 *Bructeri Germaniæ populi ad Amiſium fluvium.* Tacitus lib. 1. Ann. & alibi.

Diſcordes, i, junge animos: Europa, Deuſque
　Imponunt humeris publica vota tuis.
Auſpiciis pax freta bonis frondentis olivæ
　Prætendit capiti mitia ſerta tuo.
Viſa quieturis demum promittere terris
　Aurea compoſitis ſæcula diſſidiis.
Hîc etiam [5] Veledam, quâ nec Cumæa ſacerdos,
　Nec divina fuit clarior Herophile,
Te veniente, ferunt iterum de turre locutam,
　Fatidico tales ore dediſſe ſonos:
Lætus ades, rerum ſpes & tutela mearum,
　Soſpite quo nobis vita ſaluſque redit.
Lætus ades, cœtus nec dedigneris amicos,
　Et mea ſecurò viſere regna pede.
Non iterum clades [6] animò verſamus, & iras;
　Armaque Quintilios vincere docta tuos.
Qualis ad Aſſyrias immani funere Carras
　Romanus Partho fuſus ab hoſte jacet.
Nulla ſalus bello, pacem depoſcimus omnes:
　Pax veniat populis ſæpe vocata meis.
Sed, niſi me Phœbi ludunt oracula, quondam
　Quæ cecinit noſtro conſcius ore Deus,
Pax erit: at ſacris tam deteſtanda Latinis,
　Quàm malè mercatâ pax coitura fide.
Non ideò curaſque tuas vigileſque labores
　Excipient meritis fata ſiniſtra tuis.

Pur-

5 Statius lib. 1. Silv. in Soter. pro Rutilio Gallico:
*Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,*
*Captivaque preces Veleda, &c.*
*Ea virgo nationis Bructera latè imperitabat, quam coràm adire alloquique negatum. Arcebantur aſpectu, quo venerationis plus ineſſet. Ipſa editâ in turre: dilectus è propinquis conſulta reſponſaque, ut internuntius numinis, portabat.* Tacitus Hiſt. lib. 4.

6 *Clades Variana penè exitiabilis, tribus legionibus, cum duce, legatiſque, & auxiliis omnibus, cæſis.* Sueton. in Octav. cap. 23. *Quâ nulla poſt Craſſi in Parthis damnum, in externis gentibus, gravior Romanis fuit.* Paterc. Hiſt. lib. 2.

Purpura virtutis pretium tibi cedet, & inde
    Quo nihil hæc majus, quod tibi donet, habet.
Scilicet & terris, cæloque, Ereboque verendum
    Te solio accipiet maxima Roma suo.
Tum pia laturus sacratis oscula plantis
    Orbis adoratos procidet ante pedes.
Tum Septem imperio quæ nunc CHRISTINA triones
    Frenat, & Arctoas ducit in arma manus,
Adveniet supplex, & Vaticana tenentem
    Regna colet prono devenerata genu.
Tum consanguinei longo post tempore Reges
    Arbitrio ponent impia bella tuo.
Et pacti stabilem jurato fœdere pacem
    Damnabunt pugnas, & grave Martis opus.
Arvaque læta Ceres, & pleno Copia cornu
    Dona ferens, niveis oppida viset equis.
Mox ubi jam fessas recrearint debita gentes
    Otia, signa dabunt ad sacra bella tubæ.
Bella recrudescent Naupacti, & barbara Thracum
    Gaza per Ionias sparsa natabit aquas.
Quas ego nunc acies video! quos æquora remos
    Verrere! quàm lætis vela tumere Notis!
Quantus adest sudor populis! quot in arma volentes
    Creta viros totâ concitat Italiâ!
Ut Solyme poscit reduces in prælia Gallos!
    Ut tremit Austriacas pallidus Ister opes!
An te etiam [7] auspiciis tollentem signa secundis,
    MAGNE PATER, totò cernimus ire mari?

 Im-

7 Philomathis Musæ juveniles poëmate 85.
*Huc ego; seu sit opus Neptuni fluctibus, altâ*
*Puppe sedens; seu terrestri certare duello,*
*Vectus equo veniam.*

Impiaque Odryſiæ contundere cornua Lunæ,
Victoremque ſequi, quà præit arma, Deum?
Sit ſatis armatas in prælia mittere claſſes:
Bella gerant alii: tu prece bella juva.
Conſiliis opibuſque juva, Zephyroſque faventes
Sollicita, & faciles ad pia cœpta Deos.
Sic per tè victo Reges Oriente ſuperbi
Threïciis ſtatuent parta tropæa jugis.
Et Vaticanas Victoria figet ad aras
Dereptas Scythicis poſtibus exuvias.
Tunc aliquis vates, procerum de ſtirpe meorum,
Cantabit famæ tot monumenta tuæ.
Bellaque ſignabit titulis: HÆC THRACE SUBACTO
VICTOR ALEXANDER RETTULIT ARMA DEO.
Sic cecinit: partem, vates ne vana putetur,
Lapſa dedit, partem ſerior hora dabit.

## AD IMP. CÆS.

# FERDINANDUM III. AUG.

*Cùm ejus auſpiciis, & munificentiâ Athanaſius Kircherus OEdipum Hieroglyphicum ederet.*

NOn genus Auſtriadûm demiſſum à ſanguine Divûm,
Non clauſum mundi finibus imperium,
Non victos dicam populos, urbeſque receptas,
Nec Boreæ fractas ſæpe furentis opes.
Hæc memorent, quorum ſublimi Muſa cothurno
Surgit, & herois concinit arma modis.
Me mea Muſa vetat tantarum pondera rerum
Tangere: me, quæ ſint viribus æqua, juvant.

Me

Me ſtudia & placidæ ſibi poſcunt Cæſaris artes:
 Materies numeris convenit iſta meis.
Vates ille pios, & vatum dona piorum
 Excipit, & vatum carmine digna gerit.
Quâ ſceptrum geſtat, quâ jus & regna tuetur,
 Hac etiam Muſas protegit ille manu.
Nec minor [1] Auguſto, cujus ſucceſſit habenis,
 Fundat Apollineis publica templa ſacris.
Ardua Cecropiæ quis neſcit ſana Minervæ
 Condita, & Aonio tecta ſacrata Deo?
Miratur moles [2] Viadrus, miratur & Iſter,
 In numerum pulſis & ſibi plaudit aquis.
At quæ Cæſareo fulgentia limina ſumtu
 Praga videt, certant Delphice Phœbe tuis.
Qualis & armatas, poſt impia bella Gigantum,
 Exuit infeſto Juppiter igne manus:
Qualis &, Herculeis cùm jam cervicibus axem
 Credidit, excuſſo pondere ceſſat Atlas:
Terrarum dominas ſic feſſus Cæſar habenas
 Laxat, & imperii grande reponit onus.
Tum vires, Natura, tuas, ac ſemina rerum
 Scrutatur docto ſedulus ingenio.
Quis tremor attonitas vertat cum civibus urbes:
 Impellat refluas quis maris æſtus aquas:
Quæ vis divitias imâ tellure repoſtas,
 Donaque gemmiferi procreet Oceani:
Quàm procul Arctoo concretus frigore Pontus
 Deprenſis Nili diſtet originibus:

Quàm

1 *Auguſtus templum Apollinis in Palatio exſtruxit, additâ porticu cum bibliothecâ Latinâ Græcâque.* Suet. in Octav. cap. 29.
2 Viadrus Germaniæ fluvius, vulgò Odera.

Quàm procul Hesperiis divisum Gadibus Indum
    Hauriat [3] Eoi, quæ rubet, unda freti:
Unde ea vis ventis: unde ardens Ætna favillas
    Semper, & exesi viscera montis alat:
Unde Amphitrites salsus liquor: unde teporem
    Ducat Baianæ vena salubris aquæ.
Has ubi naturæ partes accessit, in altum
    Fertur ad ætheriæ lucida signa domûs.
Hîc illi geminam virgo Marathonia Libram,
    Et sua vicinus subjicit astra Leo.
Armatusque auro gladium prætendit Orion
    Debita Cæsareæ præmia militiæ.
Hîc Solis vestigat iter, causasque latentes,
    Pallida cur fuscis Luna laboret equis:
Cur sitiant Afri: cur Septem regna trionum
    Urat Hyperboreo frigore jugis hyems:
Cur fugiant umbræ, Cancro torrente, Syenen:
    Cur variet major meta minórve diem.
Sed quota doctrinæ pars est laudumque tuarum,
    Austriade, magni sidera nôsse poli?
Et circumfuso porrectas æquore terras,
    Quà Sol Eoos lustrat & Hesperios?
Se tibi Niliacis etiam sapientia chartis
    Eruta, & arcanas explicat historias.
Nec te sacra latent adytis seclúsa verendis,
    Nec lapides, sculptæ marmoribusque feræ.
Scilicet Ægyptus doctrinam credere saxis
    Orsa, peregrinas finxerat effigies,

Ut

3 *Latiùs olim Rubrum mare patuit, & paullò aliter, quàm ut vulgò hodie, appellatum. Nam in Taciti & aliorum veterum verbis, in hoc nomen venit mare Indicum, vastum illud & magnum, quod ab extremo sinu Arabico, sive ab Africâ eâ, in Auream Ptolomei Chersonesum se protendit. Itaque Pomponius Mela duos sinus in mari Rubro agnoscit, Arabicum & Persicum.* Lips. de magn. Rom. lib. 1. cap. 3.

Ut solis arcana Deûm mens cognita mystis
Falleret abstrusis vulgùs imaginibus,
Seraque posteritas sensim labentibus annis
Non caperet prisci moris & artis opus.
O vanas hominum curas! O cæca futuri
Pectora! Mars ultor nil sinit esse diu.
Barbarus Armenii laceravit potor [4] Araxis
Omnia, Niliacos depopulatus agros.
Tot moles, regum tumulos, tot stantia vertit
Culmina, regali suspicienda situ.
Et potuit fugiens, armis cessantibus, ætas
Servatas etiam vertere relliquias.
At non æternos olim subducet honores
Longa dies meritis, inclyta Roma, tuis.
Tu Pelusiacum spirantia rudera fastum
Colligis, & medio tollis ad astra foro.
Nec tua venturis, Cæsar, delebitur annis
Fama, nec ingenium nox premet atra tuum.
Te duce, quis credat? post tot jam sæcula scimus
Arcani quidquid Memphis & Isis habet.
Quid velit Inachiæ facies ignota Juvencæ,
Quid Canis, & sacri mystica forma Bovis,
Et quæ prætereà famosus monstra Canopus
Prodidit, antiquis conspicienda notis.
Teque adeò titulosque tuos leget accola Nili,
Et referet laudes ad sua sistra tuas.
Jam Solyme, jam discet Arabs, jam clara loquentur
Marmora Cæsareâ munera sparsa manu.
Fallor? an Austriacis addent quoque fata tropæis
Sacra Parætoniis signa revulsa tholis?

An,

4 *Cambyses Persarum Rex Ægyptum fœdissimè vastavit.*

An, FERNANDE, tuum jam nunc Victoria nomen
 Læta parat saxis scribere Pyramidum?
Gloria Pellæis certè vocat æmula palmis
 Europæ resides ad pia bella manus.

## AD
## FRANCISCUM VAN DER VECKEN,
### E Societate JESU, SS. Theologiæ Doctorem, & Professorem Coloniæ Ubiorum, Anno M. DC. LIV.

*De Musis suis, & admirandis Urbis operibus, ac laudibus Fabii Chisii S. R. E. Cardinalis.*

DUm, Francisce, tuo Rhenus sermone tenetur,
 In mediisque tibi plaudere gestit aquis;
Teque canit, curasque tuas, & numine plenum
 Pectus, & ingenii pulcra reperta tui,
Dulcis amicitiæ cultu fructuque carentem
 Me procul à Rheno flumine Tybris habet.
Me tenet Iliacis feliciùs orta favillis
 Roma, Phrygum profugis hospita terra Deis.
O quam te memorem terrarum maxima Princeps!
 Non majestatem vox capit ulla tuam.
Regibus est certo finitum limite regnum:
 Sub regno latus est solis utrumque tuo.
Et terris dare jura parum est: nunc claudere cælum
 Fas tibi, nunc demptâ fas aperire serâ.
Se tibi delegit propriam Sapientia sedem:
 Quod Stoa, quod Memphis non docuêre, doces.

Quæ quondam gemino reſidebant vertice Muſæ,
Tu ſeptemgeminis das habitare jugis.
O terræ decus, ô noſtris domus hoſpita Muſis!
Utiliter dextro ſis mihi tacta pede.
Quàm mihi dulce tuâ meditatum carmen in umbra
Dicere, & hîc Phœbo mens mihi mota calet?
Hîc, qui me vatem faciat, leniſſimus afflat
Spiritus: hæ valles, hæc juga numen habent.
Forſitan hîc ſegetes, cantataque bella Maroni:
Triverat hîc calamos Tityrus ante ſuos.
Forſitan his luſit Naſo leve carmen in hortis:
Materies illic Cynthia vatis erat.
Hîc ſevit vites, hîc legit poma Tibullus,
Et lucente foco, quod ſatis eſſet, erat.
Hîc multo Flaccus ſale defricuiſſe Quirites
Creditur, aut Lyricis detinuiſſe modis.
Hîc ſoccos, illîc grandes induta cothurnos
Prodiit, & plauſum culta Thalia tulit.
Illuſtres ſalvete animæ, ſalvete parentes
Eloquii, Suadæ Pieridumque decus.
Vos ego, vos, famâ noti ſuper æthera vates,
Siquid id eſt, merito ſemper honore colam.
Vos ſequor, &, quoniam ſpes unica laudis in illo eſt,
Veſtrorum relego conſcia ſigna pedum.
Vos celebres mecum cœtus venerantur, amantque,
Ductus ab Aoniis quos rigat *Humor* aquis.
Hos inter (neque enim his primùm novus advena jungor
Cœtibus) ut libuit, voce lyrâve cano.
Inde ubi Calliope laſſo dedit otia plectro,
Et ſacer æſtivo languet ab igne calor,
Me juvat antiquas Urbis ſpectare ruinas,
Quà ſeptemgeminis eminet alta jugis.

Hîc

Hîc ego versarum stupefactus imagine rerum
  Relliquias Magnæ Matris & ossa lego.
Hei mihi! quæ fuerat populis æterna Latinis
  Credita, nunc molis pondere victa jacet.
Qui sumptus operum, quanti periêre labores?
  Pestis in exitium non satis una fuit.
Longa dies, & Mars gentis pater, insuper ipse
  Mulciber has olim fregit & ussit opes.
Defensam vigili prospectans ansere rupem:
  Majestas, dixi, pristina rupis ubi es?
Pulsabat cælum moles: Hyperionis ignem
  Æquabant radiis aurea tecta suis.
Jupiter hîc stabat multo spectabilis auro,
  Et trifida ex auro lamina fulmen erat.
Quæ nunc hostiles paverunt omnia flammas:
  Vix reliqua est magni parva favilla rogi.
Me quoque Cæsarei tangit fortuna theatri,
  Dignaque non ullo forma perire die.
Heu confusa loci facies! lacera omnia: nusquam
  Forma prior: culmen cespes & herba tegit.
At cum stabat opus, quid erat speciosius illo?
  Scena voluptatis, nec minus artis erat.
Millia quot nunquam campis eduxit apertis,
  His pariter vidit Roma sedere locis.
Quid, quod odoratis redolebant pulpita nimbis,
  Et soles contra lutea byssus erat.
Nec semper similem referebat arena paratum:
  Nunc silvæ species, nunc erat illa maris.
Nec semper lex & ratio certaminis una:
  Diversum pro re munus arena dabat.
Spectabat populus (populum Mars ille juvabat)
  Sæpe homines pugnâ, sæpe coire feras.

Fama

Fama loci supereſt, & qualiacunque videmus
 Disjectæ molis fragmina nomen habent.
Et querimur, ſi nos morti debemur & umbris,
 Cum rapiant ipſos hæc quoque fata Deos?
At labor Agrippæ, templum commune Deorum,
 Splendoris retinet ſigna vetuſta ſui.
Corpus adhuc, quamvis ſpoliatum cultibus, exſtat:
 Nuda ſatis per ſe forma decoris habet.
Materiam ſuperat quidquid manus addidit illi:
 Credibile eſt omnes hîc habitaſſe Deos.
Inſtar habet cæli: cælum quoque Maxima Mater
 Nunc facit: hîc aris præſidet ipſa ſuis.
Cetera quid memorem veterum monumenta laborum,
 Queis ætas pretium fecit, & artis amor?
Seu Trajane tuam, ſive Antonine columnam,
 Parta ſolo vobis præmia, parta mari?
Aut quas Pyramidas miſit trans æquora Memphis,
 Aut ævo tritas, Appia ſaxa, vias:
Aut quos Roma ſuis poſuit victoribus arcus,
 Sive Tito, meritis ſive Severe tuis.
Flaviades medio conſpexerat aëre ſignum:
 Signum, quod bello vinceret, omen erat,
Vicit, & undantem vidit pons Milvius amnem
 Stragibus obſtructo tardius ire vado.
Arcu etiam poſito celebravit Roma triumphum,
 Sed quid non vitiat, comminuitve dies?
Qui fulſit ſpoliis, ſpolium quoque temporis idem eſt,
 Et leve quid, de quo fama loquatur, habet.
Hæc audita tibi pridem, Franciſce: ſed aures,
 Ut puto, nunc ſubeunt gratius illa tuas.
Olim oculos ſubitura tuos, quando Arbiter orbis
 Præſentem rebus te volet eſſe ſuis.

Tunc ego te viſo, flammâ propiore caleſcens,
Invadam vultum ſæpe, premamque tuum.
Apprenſumque manu ſtringam, totamque per urbem
Lætabor notâ ducere poſſe viâ.
Me juvat interea, dum nos ſperata morantur
Gaudia, carminibus viſa referre meis.
Scilicet invitant ævi monumenta recentis,
Aſpectuque rapit me nova Roma ſuo.
Quæ, Divi! medias ingreſſa palatia nubes
Stant Vaticano ſuſpicienda jugo!
Quæ, Jovis Elei nil concedentia fano
Templa! tholus cælum, quâ decet arte, refert.
Quæ ſola! qui fornix! quæ firmant tecta columnæ!
Quàm variæ! nil par, quà patet orbis, habet.
Dein ubi me molli ſenſim juga Cælia clivo
Accipiunt, Tuſcis trita, Vibene, tuis:
Ut me Pontificum ſedes auguſta priorum,
Ut Laterana tenet, Flaviadæque domus!
Divinus templo decor eſt: laquearia fulgent
Aurea: marmoribus ſtrata ſuperbit humus.
Relliquias Solymûm monſtrant ex ære columnæ,
Cum fuit urbs vitio digna perire ſuo.
Hîc, ubi Cæſarei ſuperant monumenta lavacri,
Quo ſpirant violæ, ſpirat odore lapis?
Hîc, ubi quinta ſacrum deſignat Olympias annum,
Sancta ter impulſo cardine porta patet.
Porta patet cæli pariter: jus namque per orbem
Servat idem Divûm Romulidûmque domus.
Frontem alibi ferro Cæſar redimitus & ære
Prodeat: hîc auro fulva corona datur.
Si lubet Eſquilios ſpatiando viſere colles,
Hîc memor æſtivæ me tenet ara nivis.

Felix, quæ poſito deſcripta eſt area templo!
  Conveniens Divæ moribus illa fuit.
Nil nive candidius: nec, cui pulcherrima ſurgunt
  Limina, non purâ purior ipſa nive eſt.
Hîc me ſuppliciter pacem veniamque precantem
  Audiat: hæc votis æqua ſit ara meis.
Hîc [1] (ita ſim felix!) videat me Roma ferentem
  Prima ſacerdotem dona, Deumque Deo.
Inde Quirinalem cum me via duxit ad arcem,
  Ante aditum quos hic Roma locavit equos!
Armenii donum regis, dignumque Nerone,
  Phidiacâ ſculptum Praxiteliſque manu.
Igneſcunt, quamvis rigido de marmore, nares:
  Hinnitum clarè tollere pænè putes.
Et, niſi ſentirent Macetæ domitoris habenas,
  Pænè putes curſu vincere velle Notos.
Admorſis ſpumam credas albere lupatis,
  Plauſaque diffuſas ſpargere colla jubas.
Tales, quos olim medios ruiturus in hoſtes
  Ad bijuges currus Mars ſibi junxit, erant.
Tales, quos [2] Zephyro genitos Harpyia Podarge
  Non leve Pelidæ munus habere dedit.
Hîc mihi ſcribendi veniat ſi carminis ardor,
  Nil morer alipedem Bellerophontis equum.
Monte Caballino faciet me Roma Poëtam,
  Quoſque bibam fontes ungula pulſa dabit.
Non hîc Phæacum ſilvas umbraſque requiro,
  Non nemora, aut hortos, Theſſalis ora, tuos.

B 2 Hîc

1 Hanc poſtmodum ædem delegimus, in quâ Deo primùm litaremus. Anno 1659, nocte Chriſti naſcentis.

2 Homerus de Xantho & Balio equis Achillis Iliad. π.

Τὺς ἔτεκε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυια Ποδάργη.

Homerum ſequitur Virgilius, neque, ſi Ariſtoteli, Varroni, Plinio credimus, fabulosè.

Hîc Tempe mihi sunt, & quos fert India flores,
Quosque sibi segetes Medus Arabsque legunt.
Cum soles ardent, terræque ardore dehiscunt,
Hîc mihi dat frigus silva nemusque facit.
Si formam geniumque loci, si dicere pergam
Singula, dicendi quæ mihi finis erit?
Tollitur æthereas frondens obeliscus in auras:
Ramorum simulat tonsilis umbra feras.
Armiger ipse Jovis terras depressus in imas
Emicat, & viridi fulmine terret aves.
Æsoniden mediis Argo (quis credat?) in hortis
Auratoque gravem vellere vectat ovem.
Prora viret, puppisque: virent pendentia malo
Vela: virent remi: transtra forique virent.
Qui fuit Hesperidum vigil ad pomaria custos,
Has etiam custos excubat ante fores.
At nullum, quidquid linguâ vibrante minetur,
Sauciat: innocuo corpore verrit humum.
Terga notant maculæ: sed enim maculosus adumbrat
Terga frutex: cristam muscus & herba facit.
Quid tibi nunc amnes referam, fontesque, lacusque,
Naiadum gelidas, humida regna, domos?
Ingenium sacris irritent vina Poëtis;
Ingenium nobis hîc quoque lympha facit.
Ut puro calices hilarent convivia Baccho,
Optima res puræ vena perennis aquæ.
Quid tibi sit Tepulâ, quid Agrippæ gratius undâ,
Aut quæ Pelignos Marcia findit agros?
At neque jam Tepulâ, nec Agrippæ ducimur undâ,
Nec quæ Pelignos Marcia findit agros.
Nunc alias iniere vias, populoque Quiritum
Pontificum solæ pænè bibuntur aquæ.

Tu me (tanta tuæ laus eſt virtuſque ſcatebræ)
Vel viſu recreas, candida Virgo, tuo.
Tu dulcis frigenſque ſitim ſolaris & æſtum,
Et meliùs medicis hauſtibus ora levas.
Tantùm, Virgo, tuæ (namque id candore mereris)
Virginibus pateant, & ſitiantur aquæ.
Et me felicem (neque enim tibi nomen inane eſt)
Quæ meritò Felix diceris unda, facis.
Ubertas tecum fecundaque divite cornu
Copia, quà placido volveris amne, venit.
Quin etiam talos à vertice ſanus ad imos,
Qui tua delibat munera, ſæpe redit.
Tu quoque Romuleam Burgheſia lympha per urbem
Labere, quà ducto fornice facta via eſt.
Labere, quà præſtans variâ teſtudine & arcu
Excipiet latices porticus alta tuos.
Ecce ſuâ tibi ſe ſubmittit Ianus ab arce,
Et Numa te tumulum gaudet obire ſuum.
Ut Vaticanas intraveris advena ſedes,
Hîc domus hoſpitiis apta futura tuis.
Candidus, & Pario ſtructus de marmore crater
Te manet, unde tuas ejaculeris aquas.
Jam ſi Pamphiliæ memorem molimina gentis,
Quas huc, quas miſit Nilus & Iſis opes!
Ardua ſtat moles, & ſaxo fulta cavato
Pyramis audaci ſurgit in aſtra viâ,
Arcanis inſcripta notis, quas diſcere præſens
Gaviſa eſt ætas, diſcere ſera volet.
Hîc, Bernine, tui cæli labor inclytus, imâ
Parte ſedent, tantum ſuſpiciuntque decus;
Et Tiberi Ganges, nec nôn Argenteus amnis;
Et famulas ſubdunt Nilus & Iſter aquas.

Candida rorantem commendant marmora vultum;
Candida submissum sustinet urna latus.
Ælia Romanæ quid propugnacula pacis
Exequar, & gyro mœnia tuta suo?
Vallorumque minas, tormentaque fusa metallo,
Impulsu nil non frangere nata suo?
Hîc fragor audiri, qualis cùm Juppiter atras
Increpitat nubes, & sua tela jacit.
Hîc Mavors, quamvis non omni tempore cuiquam
Lethifer, excusso plurimus igne furit.
Præcipuè cùm lux illi sacrata recurrit,
Cui debet solium maxima Roma suum:
Cui pater omnipotens uni dedit atria Divûm
Pandere, & appositâ claudere posse serâ.
Venerat illa dies, & jam venientibus umbris
Cesserat, ac dubiæ tempora lucis erant.
Tum verò cælum jactis ignescere telis,
Et scintillantes vidimus ire globos,
Et pluvio latè conspergi tecta Quiritum
Sulfure, & horrificos æra ciere sonos.
Mox tenebras nigro propiores crescere fumo,
Et fumum volucres dissecuisse faces.
Quin etiam innocuo percussum fulmine Tibrim
Audiimus mediis exsiliisse vadis.
Ille diu strepitu flammisque exterritus hæsit,
Expertæ memorans tempora sævitiæ:
Ut Nero flammatâ Vulcanum sparserit urbe,
Et nova Troja novo luxerit usta rogo:
Ut conjuratos sociis amentibus ignes
Prætulerit patriæ fax Catilina suæ:
Ut fuerit Geticis urbs, quanta est, mersa favillis,
Hauserit & Latias Vandalus acer opes.

Hanc tibi lætitiæ ſcenam, Romane, quotannis
Exhibet illa tuo lux operata Patri.
Talia luſtrantem plus me tamen afficit ingens
*Chiſius*, Hetruſcæ gentis & orbis amor.
Cui Vaticani delata eſt purpura regni,
Utque reor, trinus tempora cinget apex:
Ut novus Alcides feſſo ſuccedat Atlanti;
Et molem immenſi fulciat imperii.
Ille mihi facilem cantanti commodat aurem;
Plenaque felici fert mea vela Noto.
Et facit ingenium nobis, & jungit amicos,
Et tribuit gratam ſæpe benignus opem.
Hic, Albi, Meſſala tibi, ſi priſca tuliſſent
Sæcula, Mæcenas hic tibi, Flacce, foret.
Neutro laude minor, noſtro niſi carmine, laudes
Qui canimus parvis & benefacta modis.
Non tamen exiles ideo vetat ille Camœnas
Præſidio tutas delituiſſe ſuo;
Quin amat, & vultu non dedignatur amico,
Has aliquid nugas dum putat eſſe meas.
Et molles aditus toties concedit & horas,
Rara illi quamvis ocia Roma facit.
Quid loquor? ipſe ſuas, *juvenilia* carmina, Muſas
A me non blando ſuſtinet ore legi.
Triſte ſupercilium, frontemque, animumque ſeverum
Exigit, uſque adeò non placet ipſe ſibi.
Quod Phœbus, quod Roma probat, quod ſera probabunt
Sæcula; quis credat? non probat auctor opus.
O benè, quod tandem cæcis erepta latebris
Crediderit curæ pignora cara meæ.
Cumque ſui pridem fetûs abolêrit amorem,
Me ſinat huic vitam, quam fugit ipſe, dare.

Per me difcetur, per me liber ibit in ora,
  Per me deliciæ pofteritatis erit.
Quid memores faftos, lentæque volumina pacis,
  Et de Parrhafiâ perfequar arte librum?
Nec non Cæfareis certantia vultibus æra,
  Et procerum vivis æmula figna notis?
Quid titulos, & opes, & prifcæ nomina gentis,
  Et decora, & magnæ fplendida facta domûs?
Quæ facilis noftris obtutibus ille recludit
  Omnia, vix aliis pervia luminibus.
Dî mihi, Dî tantum fervent Heroa clienti,
  Dulce decus Mufæ præfidiumque meæ.
*Chifia* fic faveant mihi *fidera*, *Chifia quercus*
  Me tegat, & *fenis* ftet mea Cyrrha *jugis*.

## AD
## PHILOMATHEN.

*Nequicquam Mufarum juvenilium auctorem tegi.*

QUalis, ubi Pharios exurit Sirius agros,
  Frugibus optatâ Nilus inundat aquâ,
Et fuper arentes fufo natat æquore glebas,
  Et riguam lætis meffibus ornat humum;
At longè pofitis idem cunabula terris
  Et caput ignotis celat originibus:
Talis Mæonio quæ certent carmina vati
  Fundis, &, ut magno Pindarus ore, ruis:
Et Latium fermone beas, & divite venâ
  Fecundas, Vatum Maxime, Caftaliam.

At cur Perrhæbi bene cognitus incola Pindi,
Cor Charitum, noſtri ſpeſque decuſque chori,
Cur latitas, & lene ſacræ caput occulis undæ,
Quo veniunt Clario pocula digna Deo?
Cur tegis ambiguâ JUVENILIS imagine MUSÆ
Ingenii cultum divitiaſque tui?
Cur dubitas proprio dignari nomine fetum?
Cur dubitas famæ pandere vela tuæ?
Nequicquam, VIR MAGNE, lates: te noſtra loquuntur
Tempora, te Vatem ſæcla futura canent.
Admirata tuos Siren Acheloïa cantus
Audiit, auditis cedere faſſa ſuos.
Cùm Phaëthonteæ canerent tua carmina Nymphæ,
Suſpenſo Cycnus plauſit ab Eridano.
Conſtitit aurata captus teſtudine Tybris,
Et juſſit fluctus lentius ire ſuos.
Sæpe tuos avidis Rhenus pater auribus hauſit,
Sæpe Moſella tuos, & piger Alpha modos.
Nequicquam, VIR MAGNE, lates: te fama latentem
Prodit, & Eois monſtrat & Heſperiis.
Nec ſinit indictum pietas, animuſque periclis
Altior, & pacis, quem profiteris, amor.
Sichemios colles, & collibus addita teſtor
Templa coronato ſuſpicienda tholo.
Vos Ubii teſtes, teſtis Mimigarda laborum,
Et ſeptem geminis Roma ſuperba jugis.
Eripe nunc ergo tenebris caput, eripe nocti,
Et larvam fictis detrahe nominibus.
Si minùs occultum Scyros celavit Achillem,
Agnitus Æolidæ ſi fuit ille dolo:
Si, qui regna tenet latè Parnaſſia, Phœbum
Ora latere vetant, & coma digna Deo:

Si, licet obſcurâ celetur nocte, pyropus
 Nativo rutilum provocat igne diem:
An poterit diffuſa tuæ lux aurea Muſæ;
 An poterunt gentis ſigna latere tuæ?
Sidera ſcintillant, ſublimi vertice Quercus
 Eminet, & ſenis Mons ſubit aſtra jugis.
Sed pudor, & caſtæ divina modeſtia frontis
 Nobilior Tyriis purpura muricibus,
Vatis Apollinei titulos, nomenque recuſat,
 Phœbeaque vetat tempora fronde tegi.
Nec te grande ſophos, nec famæ cura moratur;
 Nec fuco roſeas gloria picta genas.
Virtuti ſatis eſt cælo ſe teſte probari;
 Et ſeſe famæ notitiæque negat.
Ut neget, invitam curru ſectatur eburno;
 Et circumfuſo lumine veſtit Honor.
Sic radiant puro ſervata corallia vitro,
 Sic lucent calathis lilia virgineis.
Sic adamas fundo merſus pellucet in imo;
 Sic micat auriferi dives arena Tagi.

## EPULUM

## AUGUSTINI CHISII,

*In porticu ſupra Tiberim penſili*, LEONI X. PONT. MAX. *& compluribus Cardinalibus datum.*

LAudarunt alii convivia ditis Eliſæ,
 Et Luculleas, Alcinoique dapes;

Et quas Romano cœnas Cleopatra marito
Instruxit Phariis perdita deliciis:
At mea sollemnes epulas, & Regibus æquas,
AUGUSTINE, tuas Musa loquatur opes.
Stat super impendens Tiberinæ porticus undæ
CHISIA, divitiis nobilis Attalicis;
Hospite nobilior, vultu dignata LEONIS,
Quò posuit curas urbis, & orbis onus.
Hæc quoque purpureos aurato limine Patres
Accepit, totidem ceu Jovis aula Deos.
Quæ mensis tum dona Ceres, quæ dona Lyæus
Intulit, & largo Copia læta sinu!
Vix tulit ipsa suum genialis mensa paratum.
Et pretii quota pars ipse Lyæus erat?
Fulgebant auro, fulgebant pocula signis,
Fulgebant rutilis aspera chrysolithis.
Pascebant oculos perfecta toreumata cælo,
Aut Myos, aut dignus Mentoris arte labor.
Ipsa penus populo poterat satis una videri:
Hîc poterat genio quisque litare suo.
Sic, ubi prostratos celebrarunt vina Gigantes,
Semideis licuit poscere vina Jovem.
Res nova: cælatas ceperunt retia lances,
Et Polycleteâ vasa superba manu.
Miratur Tiberis projectas flumine gazas,
Et quas nec Ganges, nec vehit Hermus opes.
Innocuam pisces escam mirantur in undis,
Mirantur nullo retia tensa dolo.
Retia nulla suis, nec quæ Nero texuit auro,
Præmia captarunt divitiora plagis.
Scilicet argenti quidquid Tiberinus & auri
Ceperat, hæc domino restituere suo.

I nunc,

I nunc, & Crassum memora Romana vetustas,
  In Parthos auri quem sacer egit amor.
Serviit ille opibus: laudato CHISIUS usu
  Effusæ dominum se probat esse rei.

## AD

# AUGUSTINUM FAVORITUM.

*De morte Natalis Rondinini*, ALEXANDRO VII. *Pont. Opt. Max. ab Epistolis ad Principes.*

NOn ita Lampetie casu Phaëthontis acerbo
  Flevit, & ambusto Cygnus in amne Padi;
Non ita Pelides, mediâ cùm vidit arenâ
  Actoriden sparsis cæde jacere comis;
Tros Anchisiades non sic Pallante peremto,
  Nec Theseus cari funere Pirithoi;
Ut mihi mœsta pio tabescunt lumina fletu,
  Imaque perpetuos pectora dant gemitus:
Dum desiderio mentem perfixus inani,
  NATALIS mutos conqueror ad cineres.
Crudeles Divos, crudeliaque astra vocanti
  Nulla venit misero nocte dieve quies.
Nec magis, heu, lacrymis saturatur luctus amaris,
  Quàm matutino rore perustus ager.
Si fugit interdum, vagus ut Mæander, in orbem
  Mox redit, & sese decipit ipse dolor:
Notaque dilecti passim NATALIS imago
  Occurrit madidis obvia luminibus,

Dulce

Dulce loqui fido, velut antè ſolebat, amico,
  Brachiaque & caras tendere viſa manus.
Sive etenim ripam Tiberini propter amœnam
  Cernere velivolas, quas vehit unda, rates,
Et ſeptem geminis latè ſpectare jacentes
  Collibus antiquæ me juvat Urbis opes,
Pyramidaſque novo ductas ad ſidera ſumtu,
  Et Vaticano templa ſuperba tholo:
Sive ſuburbanas Latii peragrare ruinas
  Mite jubet ſancti Principis imperium,
Albanumque lacum, dilectaque rura Minervæ
  Poſthabitis Romæ viſere deliciis,
Montis ubi quondam per viſcera ductus aperti
  Fatalis Veiis irrigat arva liquor:
Semper amarities, ſemper dolor hæret eunti,
  Et cruciat miris anxia corda modis.
Nec vetus Alba gravem potis eſt mihi demere curam,
  Umbra nec æſtivis Tuſcula frigoribus;
Nec nemus Egeriæ, Scythicæ nec regna Dianæ,
  Nec lacus occulti conſcius Hippolyti.
Téne malâ, juvenum caſtiſſime, fraude novercæ
  Diſtractum rapidis membra cruenta rotis,
Téne Coronides mediis è faucibus Orci
  Ereptum Triviæ reſtituiſſe Deæ,
Et lætos oculos, roſeumque potentibus herbis
  Os valuit, nitidas & reparare comas?
At miſerum, ut primæ NATALIS flore juventæ
  Occidit indigno flebilis interitu,
Non pietas, non ſancta fides, non Pallas, & omnis
  Aonidum tanto cultus amore chorus,
Ipſe nec ætherias revocare ad luminis auras
  Suſtinuit medicæ Cynthius auctor opis?

I nunc,

Pone lyram Auguſtine: licet te vate ſuperbus
    Ceſſurum Calabro ſe neget eſſe Ligur.
Phœbeos arcus, tutandis arma Camœnis
    Poſcimus: hæc noſtri temporis arma cape.
Ecce novum tumidoque gravem Pythona veneno
    Horret Apollineis dedita turba ſacris.
Ipſum etiam qui Pindi aditum, Phœbique receſſus
    Occupat, inque ſacrum nos vetat ire nemus.
Quid moror, & ficto dubium te carmine duco?
    Ah nimis ex vero noſtra querela venit.
Livor edax Python, Python inſcitia rerum:
    Hæc vates dictis mordet, & ille ſuis.
Non capit ingenio, quæ dente laceſſit iniquo
    Carmina, nobilibus ceu minus apta viris.
O quoties dixi: Quid carmen & otia vatum
    Arguis, & ſolo ſtirpis honore tumes?
O quoties: Si fama tibi, ſi gloria curæ eſt,
    Cur non & vatis te quoque cura ſubit?
Seu placet antiquâ deductus origine ſanguis,
    Antiqui ſeriem ſanguinis ille canet.
Seu caperis poſitis fumoſâ per atria ceris,
    Ornabit ceris atria lata tuis.
Addet & his proavûm titulos, & carmine dicet,
    Quot tulerint palmas, quaſque, quibuſque modis.
Addet & his vocem: picturas ille loquentes
    Finget, & his animos ingeniumque dabit.
Quid? quod habent ſua cum ſuperis commercia vates,
    Quique illos agitat ſpiritus, inde venit?
Quid? quod honoratos memorant ex ordine reges
    Auratam digitis increpuiſſe lyram?
Creditur Amramides (nihil eſt illuſtrius illo)
    Iſacidis carmen præcinuiſſe ſuis.

Car-

Carmen erat populus, cui Mempheos arma timenti
  Ipſe Deus facilem ſtraverat antè viam.
Iverat & montes inter ſecurus aquarum :
  Tanta fides pelagi diſſilientis erat.
Obruerat regem fluctu gravis unda refuſo :
  Tanta fides pelagi mox coëuntis erat.
Ibat Erythræas Mareotica gaza per undas,
  Et fracti currus, & juga vulſa rotis.
Qui miſeros regni caſus luctuſque referret,
  Hauſtaque tot pelago millia, nullus erat.
Omnia quæ populus, populum præeunte poëtâ,
  Audiit, & paribus rettulit inde modis.
At nunc quæ ſubitò ſtrepuit lyra! me mihi totum
  Surripit, & ſuperis inſerit ipſa choris.
Jeſſide, ſalve regum, ſalve optime vatum,
  Sive lyram doctâ, ſeu geris arma manu.
Militiæne priùs mirer, cantuſne ſcientem?
  Par utroque tibi nomine conſtat honor.
Queis ego te regem componere regibus auſim?
  Nil potuit regno ſanctius eſſe tuo.
Queis ego te vatem componere vatibus auſim?
  Nil potuit plectro dulcius eſſe tuo.
Luce tibi ſonuere tubæ: lyra nocte canebat,
  Victorique Deo carmine gratus eras.
Et modò ſtrata tuis, modò fletibus ara madebat:
  Et modò te tardâ Muſa levabat humo.
Sancte velis mihi te facilem præbere canenti,
  Et vates vati dexter adeſſe tuo.
Si non me tecum fas eſt excedere terris,
  Nec mea me ſupra ſidera Muſa levat:
At placare tuo fas ſit mihi Numina cantu:
  Hac, precor, hac liceat te mihi parte ſequi.

Talia cantabant afflati numine vates,
Otia post pugnas cum sibi justa dabant.
Et quisquam, sit dives opum, sit clarus avito
Sanguine, tanta neget nomina ponè sequi?
Et leve nescio quid, quod tantùm tempora fallat,
Esse putet, doctæ carmina mentis opus?
Ille ego sim, qui, dum Pindi sedet arduus arce,
URBANI sacris oscula dem pedibus.
Ille ego sim, qui CHISIADÆ juvenilia dicar
Otia parte aliquâ posse referre meis.
Nec mihi quis, si castra vocant, neget artibus illis
Esse aliquem lituos inter & arma locum.
Tunc erat, extremum Macedo cùm subderet orbem,
Et captis Ganges mollior iret aquis.
Tunc erat, Iliadem caperet cùm lectus & ensem,
Qui custos Musis esset, Homere, tuis.
Scipiade, tibi jugis erat comes Ennius: idem
Emeruit tumulo proximus esse tuo.
Cæsar in adversos cùm fulminis instar Iberos
Tenderet, ipse suum carmine lusit iter.
Aiacem nobis invidit spongia: dextrâ
Occidit Augusti fixus, ut ipse suâ.
Sæcula (cur sileam?) vates quoque nostra tulerunt,
Imperio populos qui tenuere suo.
Cæsareæ studuit Phœbeam nectere laurum
Primus ab Austriacis Maxmilianus avis.
Summos summa juvant: res est quoque summa Poësis:
Et qui digna gerunt carmine, carmen amant.
Quo quisque ingenio pollet magis, altiùs ire
Nititur ad geminum, quà via facta, jugum.
At rudis, invitis Musis & Apolline natus,
Laudis egens, animo deficiente jacet.

Hæc

Hæc ego : tu nervis torque majoribus arcum ;
  Cui Phœbus pharetram credidit ipse suam.
Surge : premat querulas rostrata ciconia ranas :
  Figat Apollineus sibila monstra labor,
Surge : animam vocemque novo præclude Lycambi :
  Supplicium Momus, quod tulit ille, ferat.

# AD GALLIAM.
## DE MORTE
## DIONYSII PETAVII
## E SOCIETATE JESU,

*Cùm Franciscus Barberinus S. R. E. Cardinalis illi à Poëtis parentari juberet.*

SI vacat, & nostras civilia bella Camœnas
  Audiri lituos inter & arma sinunt,
Accipe quæ vates cineri sacramus amico
  Carmina, non uno Gallia pressa malo.
Scilicet in longum veniunt tibi tristia morem,
  Teque alia ex aliis fata vicesque gravant.
Non satis in luctus fuerat, tua pignora, cives
  In te discordes exacuisse manus.
Et Parcæ fecere nefas, commune ; sed atrox,
  Cui natura nihil quo medeatur habet.
Sirmondus ; [1] quo non alius Regum acta tuorum
  Certior, & regni jura referre, jacet.

 Sum-

1 Jacobus Sirmondus è Societate JESU, vir totius antiquitatis curiosus investigator.

Sumſerunt etiam, dum Regum ſcrinia ſervas,
In te lanificæ jus, Puteane,[2] Deæ.
Communis, Puteane, dolor nunc vatibus, olim
Grande decus Clarii præſidiumque chori.
Nec ſatis: extincti mors importuna Petavî
Accedit tantis nunc nova cauſa malis.
Ille ſilet, parvâque cinis compoſtus in urnâ eſt,
Suada jacet riguis quam ſuper uda genis.
Qualis ſciſſa comas, laceràtaque pectus apertum
Incubuit Pylio commoritura ſeni.
Ereptum Ligeris plorat natalis alumnum,
Turbataſque ſuis fletibus auget aquas.
Ipſa dolet miſerum regina Lutetia caſum
Funereâ ſparſas fronde revincta comas.
Jure etiam libat lacrymas FRANCISCUS ademto,
Romuleos inter gloria prima Patres.
At benè quòd cineri (quid enim non ille meretur?)
Doctorum vatum carmine juſta paret.
Nam quid felices fruſtrà dolor urgeat umbras?
Juſtiùs in laudes ora reſolvat amor.
Deſine, quiſquis amas, magni pia buſta Petavî
Nil profecturis ſollicitare modis.
Quamvis indocilis leges mutare ſeveras
Vitalem Lacheſis ruperit atra colum;
Non omnis tamen ille perît: meliore ſuperſtes
Parte ſui, volitat docta per ora virûm.
Quid metuat Lethen oblivia nigra trahentem
Fluctibus? ignavos torqueat ille metus.
Hic rerum memores faſtos, memorandus & illis,
Edidit, & Batavam contudit invidiam.

Bis

2 Petrus Puteanus, Regiæ Bibliothecæ Cuſtos ac Præſes, literatorum erga literatos officioſiſſimus.

Bis ſenis docuit celeres cum menſibus annos
  Munitam certis legibus ire viam.
Ætheriaſque domos animo percurrit, & aſtra
  Diviſit numeris temporibuſque ſuis.
Hunc adeò egreſſum noſtræ contagia terræ
  Uranie famulâ duxit ad aſtra manu.
Erranteſque globos, mundique volubilis orbes
  Pandit, & in toto ſidera fixa polo.
Quæ ſuper evectus, meriti nunc civis Olympi,
  Fertur in auctorem, non velút antè, ſuum.
Nunc illo fruitur propior, totumque quod ipſe eſt,
  Inque ipſo quidquid condidit ipſe, videt.
Sive Palæſtini regalia carmina vatis
  Concinit Argolicis reddita carminibus:
Seu Divûm medius, Patrum monumenta revolvit,
  Ingenio Divos detinet ille ſuo.
Non igitur tibi vana ferunt ſolatia Muſæ:
  Tu modò te Superûm, Gallia, junge choris.

## AD
## JACOBUM VVALLIUM
### *de morte* SIDRONII HOSSCHII.

ETſi me, Walli, patriis excedere terris,
  Et procul Angariæ collibus ire meæ,
Et maris inſuetas auſum dare vela per undas,
  Ardenteſque gravi ſole ſecare vias,
Lydius Heſperidum Tibris regnator aquarum,
  Et ſeptem geminis Urbs tenet alta jugis,
Alpinæque nives, ac nubifer Apenninus,
  Et pia Tyrrhenæ vota morantur aquæ:

Ut nequeam Tungros, & pulchrum visere Mosam,
Et præsens mœsto solvere justa rogo,
Et terræ tumulo componere vatis amici
Relliquias nostris irriguas lacrymis:
Non tamen extinctum miseris urgere querelis,
Justaque, quà fas est, reddere cessat amor.
Nunc firmata subit studiis concordia nostris,
Et desideriis invida fata meis.
Nunc mandata lego, quæ te mihi scribere jussit,
Et moriens linguâ deficiente dabat.
Quin etiam violis, & lauri frondibus urnam
Halantem fictis ponimus exuviis.
His etiam flores, vitæ monumenta fugacis,
Addimus, albenti lilia mista rosâ.
At circùm Latii, doctissima turba, Poëtæ
Aöniâ feriunt carmina mœsta lyrâ.
Quos præit ereptum lugens Elegeïa vatem,
Sæcula cui nullum nostra tulêre parem,
Postera vix sperent; quo vindice desiit esse,
Quod fuerat, Paphiæ lena comesque Deæ.
Illa igitur squalet, quo nos, confecta dolore,
Et queritur nostris saucia vulneribus.
Ipse etiam fletu tumulum dignatur inanem
CHISIUS Ausoniæ gloria prima togæ.
Et gemitu manes ciet, & Permesside lympha
Spargit flebilibus marmora scripta notis.
HOC MERUIT JUSTI MONUMENTUM BELGA DOLORIS,
PROXIMUS INGENIO, CULTE TIBULLE, TUO.
Interea curis liber mortalibus errat
HOSSCHIUS, Elysium quà facit umbra nemus;
Quà Zephyri blandis immurmurat aura susurris,
Et viret intonsis laurea silva comis;

Quà ſaliunt vitrei per amœna roſaria fontes,
Et præbet faciles florida ripa toros.
Illic divinos inter conſidere vates
Geſtit, & Heroum proximus ire choris,
Et modò cantatos ſuſpirat Numinis ignes,
Virginis & grato carmine laudat opem.
Et modò tot vitæ, quibus ut mare volvimur, æſtus
Gaudet inoffensâ ſe ſuperaſſe viâ.
Et modò commendat faciles miſereſcere Divos,
Dum Petri lacrymis miſcuit ipſe ſuas.
Denique quæ vovit Leopoldo plurima, votis
Exorat meliùs proſequiturque ſuis.
Illinc, ſi noſtri tangit te cura, nec omnis
Excidit oblito pectore ſuetus amor,
Aſpice perpetuis lacrymarum turgida rivis
Lumina, & exequias, docte Poëta, tuas.
Aſpice ut immenſum tua gloria lata per orbem
Tranſvolet Eoas, Heſperiaſque domos:
Ut malè neglectas, monumenta perennia, Muſas
Wallius indignis vindicet à tenebris;
Wallius Aönidum poſt te non parva ſororum
Cura, tibi quondam, nunc mihi primus amor.
Quàm pius ille manu fugientes clauſit ocellos,
Et ſummis animam legit anhelitibus!
Quàm pius æternis mandat tua nomina chartis,
Et damnat lacrymis impia fata ſuis!
Scilicet ereptum ſic triſtis Naſo Tibullum
Luxit, & Orphæam Calliopeia necem.

# ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX.

*Villam Barberinam, Domitiani olim Cæsaris Albanum, ubi quotannis Quinquatria fiebant Minervæ, animi causâ invisenti anno* M. DC. LVII. *Idib. Maii.*

HIc ubi porticibus se Flavia villa superbis
  Æquabat summis ardua sideribus,
Et nemus hinc, Scythicæ non mitia regna Dianæ,
  Illinc Tyrrhenas prospiciebat aquas,
Sollemnes olim ludos, & sacra Minervæ
  Quinque fuit junctos mos celebrare dies.
Quare amat hos colles etiam nunc Diva, lacusque,
  Plurima quos glaucâ vestit oliva comâ.
Atque adeò præsens Albæ cùm proxima nuper
  Vidit ALEXANDRUM per juga ferre pedem;
Lætus ades, dixit, nostrosque invise recessus,
  Terrarum custos maxime: lætus ades,
Hîc positâ regni tantisper mole licebit
  Otia prolatis dulcia rebus agas.
Quando dira lues, & frugum tristis egestas,
  Auspice te, Latios pulsa reliquit agros.
Mox instaurato mens corpore firmior, altas
  Imperii curas, & geret orbis onus.
Intereà dignam servato cive coronam
  CHISIACIS Dryades texite de foliis.
Alma Ceres, spicas; date laurea serta merenti,
  Aönides: partâ mox mea pace feret.

AD

# JOANNEM ROTGERUM TORCKIUM

*Præpositum Mindensem, & Canonicum Paderbornensem ac Monasteriensem. De Æneæ statuâ,* LAURENTII BERNINI *opere, in hortis Burghesiis extra portam Collinam.*

TORCKI noster amor, doctarum prima Sororum
Gloria, spes patriæ magna decusque tuæ,
Aspice BERNINI docto spirantia cælo
Marmora, Phidiacó par opus ingenio.
Aspice Trojugenam curvâ cervice ferentem
Et patrem, & profugos, sacra paterna, Deos.
Has pius Æneas parvo comitatus Iulo
Subtrahit incensæ relliquias patriæ.
Quis dolor è muto ducit suspiria saxo!
Qualis in inflexo vertice regnat amor!
Ut lapis ipse suæ præsagus fata Creüsæ
Sentit, & impositum ferre laborat onus!
Et trahit Ascanium flentem! comes ille paternæ
Non potis est æquis passibus ire fugæ.
Ut miserans captæ fumantia mœnia Troiæ
Effigies tantis ingemit ægra malis!
At ne BERNINUS vocem daret arte querelis,
Obstitit infandus, qui premit ora, dolor.

## ALEXANDRO POLLINO

*Donum natalitium.*

MEntoreos alii donent, POLLINE, labores:
  Natali noſtro pyxida munus habe.
Forma pyrum ſimulat: circùm violæque colores,
  Albaque purpureis miſta liguſtra roſis.
Aſpicis & variis ut aranea floribus audax
  Incubat, & fatuus papilionis amor.
Nec tamen incluſam potis eſt libare medullam,
  Et qui ſub fulvo ſpirat odor calyce.
Namque ibi odorifero ſudantia balſama ligno,
  Dulces Auroræ divitis exuvias,
Et Cilicum meſſes, & quæ Titanius ales
  Cinnama, & extremus munera legit Arabs,
Et nardi felicis opes, & pinguis amomi,
  Compoſuit miro Pœonis ars ſtudio.
Sic operi contendit odor: cui præſtat utrique
  Dantis amor meritis dona minora tuis.

## DE CORVO

*Bartoldi Nihuſii diſcipulo mortuo.*

OCcidit heu Corvus Batavis celeberrimus oris,
  Bartoldi longo tempore diſcipulus.
Nec domino veniente, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν,
  Increpitat Graio garrulus eloquio.

Vox

Vox ſilet, ac lepidæ ceſſant convitia linguæ,
  Nulla quibus ſeſe compoſuiſſet avis.
Non Agrippinæ turdus, non ſturnus amores
  Cæſaris, humanos doctus uterque ſonos;
Nec Corvus populi plauſu gemituque Latini
  Nobilis, & ducti funeris exequiis.
At rumpare licet Clotho, quæ fila volucrum,
  Mœonidæ ſi fas credere, dura ſecas,
Carmine vivet adhuc, qualis Melioris alumnus
  Pſittacus, & Teii fida columba ſenis.
Qualis & exuſto celebrata Ciconia nido
  In Batavis pullos morte ſecuta ſuos.
Ut meruit, vos ergò roſâ Permeſſide Muſæ
  Compoſitum molli condite funus humo:
Et notum tumulo carmen ſuperaddite: SI QUEM
  NON HODIE, CRAS, CRAS AUFERET ATRA DIES.

# ALEXANDRO VII.

## PONT. OPT. MAX.

*Tertium Pontificatus annum feliciter auſpicanti.*

LÆta dies rediit, qua te Rex ætheris alti,
  SANCTE PATER, magnum miſit in imperium:
Et terris dum pulſa lues, tibi tertius annus
  Illuxit fauſtis candidus auſpiciis.
Prima fames Latium, te principe, liquit, & Urbem
  Externis pavit frugibus alma Ceres.

Jam

Jam nunc Adriacis classis tua juncta carinis
  Hellespontiacæ claustra refringet aquæ,
Intereà sacras voti rea fundit ad aras
  Ingenuo tales pectore Roma preces:
De nostris, PATER ALME, tibi Deus augeat annos,
  Si servata tuo munere vita mea est.

## IN EJUSDEM EFFIGIEM

*Marmoream, opus Laurentii Bernini Equitis & sculptoris egregii.*

SPirat ALEXANDRI vivus de marmore vultus,
  Nullus adhuc potuit quem simulare color.
Par animo siquidem facies pigmenta recusat,
  Et meliùs niveum marmor utrumque refert.

## AD EUNDEM.

*De ædibus Pontificiis ad Lacum Albanum tactis fulmine* III. *Id.Octob.* M.DC.LVII.

NE mirare manu Cyclopea tela rubenti
  In tua, SANCTE PARENS, tecta vibrare Jovem.
Indignatur enim Latio, te Principe, demum
  Aurea Saturni sæcla redisse senis.

## DE BIBLIOTHECA URBINATE,

ALEXANDRI VII. *Pont. Max. liberalitate, Vaticanæ donatâ.*

REgifico quondam sumtu, studioque parata
  Feltriadûm celebris bibliotheca Ducum,

Va-

Vaticana tuas, huc longè jussa venire
  Munere ALEXANDRI Principis, auget opes.
Nobilior poterat nec muneris auctor haberi,
  Nec munus poni nobiliore loco.

### IN CAROLI I. *magnæ Britanniæ Regis*, *An.* M.DC.XLVIII.V. *Id. Febr. Londini capite plexi, necem.*

CErne lupæ geminos pendentes ubere natos:
  Romulus hic Romæ est conditor, ille Remus.
Inde Caledoniæ præbentem colla securi
  Indigno CAROLUM respice supplicio;
Et genus acre lupos terræ dic deesse [1] Britannæ:
  Sævior est ipsis terra Britanna lupis.

### AD FRANCISCUM BARBERINUM Card. & S.R.E. Vicecancellarium.

*Ut Lucæ Holstenii, Hamburgensis, Vaticanæ Basilicæ Canonici, & Bibliothecæ Custodis primarii*, IV. *Non. Febr. An.* M.DC.LXI. *defuncti scripta in lucem proferat.*

OCcidit Holstenius, Graiæ Latiæque Minervæ
  Artibus, Eois notus & Hesperiis.
Holstenius, quô non fuerat mihi carior alter,
  Nec posthac unquam carior alter erit.
Heu! Vaticanæ mecum plorate Camœnæ
  Delicium vestri præsidiumque chori.

Illius

1. In Angliâ lupi nulli, assiduis venationibus stirpitus excisi. *Polyd. lib.* 1.

Illius imprimis ſtudio defenſa fideli
Relligio madidis lugeat orba genis.
Grande decus, columenque ſacri, Franciſce, Senatûs
Solari noſtras perge tuaſque vices.
Ede laboratas, quas celant ſcrinia, chartas,
Queis meliore ſui parte ſuperſtes agat.
Vivitur ingenio, nec in illud ferrea quidquam
Inciſo Lacheſis ſtamine juris habet.
Sic bene de Muſis, & relligione merendo,
Laus tua, & Holſtenii vita perennis erit.

# ALEXANDRO VII. P. O. M.

*Uſitatâ SS. Patrum conciliis comprecatione*, CUJUS SEDEM ET ANNOS, *de reſtituta valetudine gratulatur. An.* M. DC. LXVI.

Vivit Alexander, mendax quem fama negabat
Longiùs extremum ducere poſſe diem.
Vivit, & Albanos colles petit, Urbe relictâ,
Incolumis: Clariæ ſolvite vota Deæ.
Veſtra ſalus agitur; quæ nunc hoc ſoſpite florent,
Incipient artes hoc moriente mori.
Hoc igitur faciles adeamus carmine Divos,
Carmine, quo ſancti nos præiiſtis avi:
CUJUS Alexander SEDEM tenet, illius annos
Expleat, utque tulit, ſic ferat Orbis onus.
Tu, cujus primùm auſpiciis hæc inclyta Roma
Cælitibus leges terrigeniſque dedit:
Tu mea tam juſtam vota exorantia cauſam
Excipe, dum partes Urbis & Orbis ago.

En

En ut porticibus, pro quo precor, alta coronat
 Limina supplicibus relligiosa tuis;
Ut solium augustis decorat sublime columnis,
 Artis divinum se superantis opus.
Quod populus posthac his te venerabitur aris
 Sæpius, hoc illi prosit, opemque ferat.

## EJUSDEM

*Summo Reipubl. Christianæ luctu, ac damno,* XI. *Calend. Jun. An.* M. DC. LXVII. *defuncti Sacræ Memoriæ.*

QUæ non flebilibus complevit regna querelis
 Mortis, Alexander, nuncia fama tuæ?
Te Cæsar, te flevit Iber, infestaque nuper
 Gallia nunc lacrymas victa dolore dedit.
Nec tulit irarum causas referentia stare
 Marmora Pipinis invidiosa suis.
Orbis uterque suum fato cessisse parentem
 Credidit, & pietas omnibus una fuit.
Omnibus ex æquo par sit data causa dolendi,
 Justior haud ulli, quàm mihi causa datur.
Amisius, mecum ante alios mœstissimus, urnam
 Diciduis, in quas solvitur, implet aquis.
Ne tamen assiduo cogar tabescere luctu,
 Virtuti cautum gratulor esse tuæ.
Non tibi summa dies angusti terminus ævi est:
 Quamlibet invitâ morte superstes eris.
Nec tibi, quæ multis, ponet fataliter ætas
 Tempora, nec famæ meta futura tuæ est.

Quà

Quà pelagus, quà terra patet, surguntque caduntque
  Sidera, sunt meritis omnia plena tuis.
Adria te Thressas armis diffringere Lunas,
  Teque tuas illi jungere vidit opes.
Adria Loiolidis, quo se tibi nomine debent,
  Hospitio dextras junxit, ut ante, suas.
Quam debere tibi gaudet Germania [1] pacem,
  Se debere diu non potuisse dolet.
Acrior hoc tangit Rhenum dolor, acrior Istrum,
  Quò fuerat visi gratior oris honor.
Scit bene, quas habeat lugendi Vistula causas,
  Ille tuâ posthac destituendus ope.
Scit bene, quas illi dederis in prælia vires,
  Seu Geta, seu Moscus Marte petendus erat.
Quæ mihi præstiteris, si persequar, omnibus undis
  Amisius numero sit minor ipse meo.
Talia cùm de te peragat præconia Virtus,
  Te rapto lacrymis obruor, & sileo.

## AD
## CLEMENTEM IX. P. O. M.

*Cum Episcopo & Principi Monasteriensi adjutor successorque lectus designatusque esset An.* M. DC. LXVIII. *pridie Cal. Maias.*

## EUCHARISTICON.

GRandibus immensas tibi debeo, maxime Clemens,
  Pro meritis grates muneribusque tuis:

Quòd

1 Inter Imperatorem & Galliarum Regem conciliatam Monasterii Westphalorum.

Quòd tua me populis sacravit [1] dextra regendis
  Impositum, Paderæ quos rigat unda meæ:
Quòd Mimigarda potens, æquo te judice, nobis
  Detulit imperii proxima jura sui;
Tincta nec adversæ valido potuêre veneno
  Invidiæ nostrum lædere tela caput.
Sed tua quando meæ nequeunt æquare canendo
  Aönides parvis maxima dona modis;
Mente, precor, gratâ contentus, perge tueri
  Præsidio fretum me, Pater alme, tuo.
Sic Tibi dent Superi quod aves, quod jure mereris;
  Et pro Te Superos publica vota rogant.
Sic Themidi ambiguam faciat Clementia palmam;
  Ornet an hæc mores, an magis illa tuos.

IMP. CÆS.

# LEOPOLDO AUG.

*Victoriam Hungaricam sine sanguine partam gratulatur.* *An.* M. DC. LXX.

EDite Cæsaribus proavis, fortissime Cæsar,
  Orbis & Austriacæ spes, Leopolde, domûs:
Marte tuos superes, precor, ut virtutibus hostes,
  Et jugis circùm tempora laurus eat.
Primus in arma ruens pœnas, Te vindice, Gotthus
  Infestus Cimbris Sauromatisque dedit.
Pòst Thracem infractum non unâ clade tyrannum
  Sanguineis vidit decolor Ister aquis.
Nunc Tibi perjuros debellat Sporchius armis
  Pannonios, nostri gloria magna Padi,

D  Lætá-

1 An. M. DC. LXI. VI. Junii. Romæ.

Lætáque Cæsareas circùm Victoria turmas
Serta gerens nullâ cæde cruenta volat.
Magna quidem ferro populos domuisse rebelles
Laus est, innumeri quam meruêre duces;
Sanguinis expertem sed deportare triumphum
Præstat, & imperium laus decet illa tuum.

AD

# JACOBUM BALDE,

è Societate Jesu,

*Versiculos nostros, de corvo Bartoldi Nihusii, exstincto, laudantem.*

Siccine, quem tristes olim flevêre Camœnæ,
Est tibi visus olor, qui mihi corvus erat?
Verterit has formas opifex amor: omnia vertit,
Et pulcrum quod non invenit, esse facit.
Quos tu nunc, specie multùm delusus inani,
Das corvo vultus, hos dedit ille Jovi.
Dî faciant, cui dat corvus te judice nomen,
Ille suo dici carmine possit olor.
Tunc me non humili vectum mirabere pennâ,
Quô Calaber Latiæ se tulit arte lyræ.
Tunc ego Dædalide ferar huc, ferar ocyor illuc,
Nomina cæruleis nulla daturus aquis.
Te visam ante alios, ac nostro carmine captus
Defluere immemores arriget Ister aquas.
Exceptum Tiberis ripâ me [1] Sidus Olorum
Respiciat tantùm, sponte canorus ero.



1 Clementis IX. P. O. M. tessera hæc est, inter illas, quas Pontificibus singulis attribuit S. Malachias.

# AD ACIDULAM FONTIS MELLITI,

## *Juxta Smechtam, pagum Diœcesis Paderbornensis.*

NYmpha decus silvæ, pulcherrima Nympha sorores
Inter Hamadryadas, Naïadasque deas.
Quis te præsenti sparsit medicamine? quis te
Melliti fontis nomen habere dedit?
An, magis ut saperent, acidas tibi dulciter undas
Ambrosiæ succis diluit ipsa Salus?
An, velut Hyblæis è floribus omnia libat
Fingendi studio sedula mellis apis;
Sic, dum nunc ferri venas, nunc æris oberras,
Vim trahit inde tuæ, quà fluit, humor aquæ?
Quicquid id est: stomachi fastidia vincis inertis,
Nec sinis accensum bile tumere jecur;
Et quæ præterea versu comprendere non est,
Sæpiùs innumeris pota medere malis.
Salve Naturæ mulsum, gratissima morbis
Sospitá, languentûm nectar, inempta salus.
Quod mihi si bilem solitâ virtute coërces,
Quæ jecori, nimio dum furit igne, nocet;
Carminibus nostris decorataque marmore, nomen
Grande salutiferas inter habebis aquas.

AD

# S. URSULAM VIRG. & MART.

de natali suo,

*Qui fuit* XII. *Kal. Novemb. A.* M. DC. XXVI.

VIrgineas acies quæ te lux ordine longo
  Ducentem superas vidit inire domos;
Auspiciis hæc ipsa tuis, fortissima Virgo,
  Me vitæ limen vidit inire meæ.
Hinc Tibi sacra fero, votivaque dona quotannis,
  Natalémque tuum rite meumque colo.
Vela Caledonium si te rapuêre per æquor,
  Excepitque tuas barbara terra rates:
At fera te superis tempestas appulit oris,
  Optatæque tibi mortis aperta via est.
Nos quoque jactat hiems, & cum superasse procellas
  Credimur, in portu naufraga turba sumus.
Tu porrò secura maris precor, Ursula, portum
  Ut teneat, nostræ dirige navis iter.

AD

# S. BARBARAM VIRG. & MART.

*pro fausto vitæ exitu.*

BArbara, supplicibus Virgo non aspera votis,
  Has, rogo, neglectas ne sine Virgo preces.
Stamina cùm vitæ candente fluentia filo
  Præcidet Parcis de tribus una soror,

Et Mors atra suos diducet, & Orcus hiatus,
Coget & infernas in mea damna manus:
Tunc succurre meo tam mitis, Diva, labori,
Immitis genitor quàm fuit ipse Tibi.

AD
HORTENSIUM MAURUM
Veronensem,
GEORGIO VVILHELMO,
*Duci Brunovvicensi & Lunæburgensi, ab epistolis, acidulam fontis Melliti, juxta Smechtam, pagum Diœcesis Paderbornensis, hoc Epigrammate laudantem.*

AUrea dum primæ coluerunt sæcula gentes,
Ambrosias populis mella dedêre dapes;
Aëriæ quercus sudarunt roscida mella,
Mel fuit in foliis, mel fuit inter aquas.
Te quoque, qui reddis nobis ea tempora, Princeps
Inclyte, non miror mellis amore capi.
Cum Tu sis verè mirâ dulcedine morum,
Melleus ingenio, melleus eloquio,
Par est, ut fontes ipsi Tibi mella propinent,
Ut Tibi mellitas terra ministret aquas.

*Responsum Auctoris.*

MEllitos latices nuper dum libat Apollo
Imbutos venæ nectare, Maure, tuæ:
Non magis insignis mirâ virtute medendi,
Carmine quàm Mauri nobilis unda mei.

Vatis, ait, tanti meritis & laude superba,
  Castalii poteris vincere fontis aquas.

## FONS PAMPHILIUS,

# INNOCENTII X.

*Pont. Opt. Max. opus admirabile, in circo Agonali Romæ.*

ORbis quadrifidi simulacrum cernis in Urbe,
  Flumina qui nostro fonte quaterna bibis.
Hîc Ganges, hîc qui dulces Argenteus amnis
  In mare, perruptâ [1] Doride, volvit aquas.
Hîc Ister pronâ recubat septemfluus urnâ,
  Et totidem Nilus cornua fronte gerit.
Omnes Roma parens gentes complexa, ministrat
  Omnibus ex uno fonte salutis aquam.

*De S. Petri Apostolorum Principis Martyrio.*

CUr, capite inverso, plantas ad sidera tollit
  Affixus dominâ Petrus in Urbe cruci?
Ut caput in terris summum, sub Principe Christo,
  Seque piis certum monstret ad astra ducem.

DE

1 *Amnis Argenteus,* qui Hispanis dictus *Rio de la Plata*, hoc est ab argento, leucarum quadraginta ostio in mare fertur adeò violentus, ut inde nautæ dulces hauriant latices, priusquam tellurem ex alto conspiciant. *Maffæus Hist. Indica lib. 2.*

# DE
# MARIA REGINA ANGLIÆ

*vindicata à calumniis Georgii Buchanani Scoti lib. 2. Epigramm.*

SUm Marie, malè grata patri, malè grata marito,
Cælo invisa, meæ pestis atrox patriæ.
Nulla aberat labes: nisi quod fuit addita custos
Fida pudicitiæ forma maligna meæ.

*Antithesis.*

SUm Marie, malè spreta Patri, bene cara marito,
Cælo accepta, meæ certa salus patriæ.
Nullæ aberant laudes: nisi quod natura negavit
Progeniem regnis non satis æqua meis.

*In Rufum Poëtam malum.*

NOlo, Rufe, tuos, ne dedignare, libellos
In cælum falsis tollere carminibus.
Carmina tu nunquam laudas aliena; quid ergo
Laudari quæris carmina, Rufe, tua?

*In eundem.*

NOn mea, quod velles, te laudant carmina, Rufe:
Ne tua me laudent carmina, nostra timent.

*In Cantharum potatorem sæpius ægrotantem.*

POst calices haustos toties, potamque salutem,
Æger Apollineam, Canthare, quæris opem;
Pocula dein redeunt, redit & medicaminis usus:
Hoc est, nolle benè, & velle valere benè.

*In Podagram.*

BAcchus & alma Venus quam progenuêre, Podagram
Miretur claudos ecquis habere pedes?
Ebria quando trahit vestigia Bacchus, & hæret
Tardipedi Cypris consociata viro.

*Adulatoris & corvi similitudo secundùm illud Græc. Epig. Ῥῶ καὶ λάμβδα μόνον κόρακας κόλακας διιστᾷ.*

ECce κόλαξ κόρακι quàm concolor esse videtur;
Hic niger est plumis, moribus ille niger.
Hic fronti rapit, ille animo sua lumina; gaudet
Hic cruce; suffigi dignus & ille cruci est.

*Amicitia fucata.*

QUisquis amicitiam jungis, ne fronte serenâ
Tincta venenato pectora felle tegas:
Plus fallax oris species, velut abdita rupes
Plus ratibus, quàm quæ prominet alta, nocet.

# JULIUS CÆSAR

*Injuriarum immemor.*

OMnia conſervat memori ſub pectore Cæſar;
Sola ſed in ventos, quæ mala paſſus, eunt.
Mnemoſynen alii laudent: me judice, pluris
Sic obliviſci, quàm meminiſſe fuit.

AD

# FRIDERICUM FURSTENBERGIUM,

*Fratrem, dynaſtam Bilſtenii & Waldenburgi, Dominum in Schnellenberg, Waterlapp, Furſtenberg & Herdringen, Sereniſſimi Electoris Colonienſis, & utriuſque Bavariæ Ducis, Satrapam Fredeburgenſem, & conſiliarium intimum, Advocatum hereditarium in Grafſchafft, ejuſque conjugem Annam Catharinam de Petra ex caſtro Leyen.*

# DE WILHELMO FURSTENBERGIO

*Eorum filiolo, eâdem horâ nato, & denato.*
*An.* M. DC. L.

FUrſtenbergiaco Wilhelmus ſanguine cretus
Hîc jacet: huic vitam, quæ dedit, hora rapit;
Vivat ut æternùm, mœſti ne flete parentes,
Huic eadem vitam, quæ rapit, hora dedit.

AD

# FRIDERICUM HÖNINGUM

## ARENSBERGENSEM,

*Ord. Præmonſtr. Canonicum, Cal. Januariis An.* M. DC. XLIX.

JAnus adeſt, ſed munus abeſt, tamen urget amanti
　Debita ferre tibi munera gratus amor.
Quid faciam Friderice? tibi ſi dona merenti
　Muſa negat, noſtrum cor tibi donat amor.

IN EFFIGIEM

# CHRISTOPHORI BERNARDI

## Epiſcopi & Principis Monaſterienſis,

*Penicillo Theodori Caſpari Lib. Baronis de Furſtenberg, Canonici Moguntini & Spirenſis, eleganter depictam.*

PRincipis ora vides Bernardi, fortibus armis
　Victorem ſupplex quem Mimigarda colit:
Thrax timuit: nec adhuc impune laceſſiit ullus:
　Scit Batavus. Martem frons generoſa refert.
Nec minor eſt pietas: imò pius arma tuendâ
　Pro patriâ, & verâ relligione gerit.

# IN
# BERNARDUM FULGOSIUM,

*Medicum & Poëtam malum.*

CUm tua, Fulgoſi, tellus errata medentis
Celet, & aggeſtâ funera condat humo;
Quæ nunc tanta animum cepit dementia, luci
Ut mala committi carmina diſcupias?

# FABII CHISII

*S. R. E. Cardinalis Auſpicatiſsimus natalis Hendecaſyllabis jam olim celebratus, antequam Pontifex Maximus renunciaretur.*

INgens gloria purpuræ Latinæ,
Phœbi delicium, medulla Suadæ,
Sacrorum Cynoſura certa vatum,
Paullùm, magne FABI, graves labores
Alti pectoris, arduæque Romæ
Fultum conſiliis remitte pondus,
Et noſtris ſolito favore Muſis
Aſpira facilem ſecundus auram,
Dum natalitias ſacrare cantu
Idus Hendecaſyllabi laborant.
Quos duros licet, ac parùm politos
Lævi pumice, Dædalaque limâ,
Ut blando tamen in ſinu receptos
Illâ fronte legas, precamur, illâ,
Quâ Septem juga, purpuramque Romæ,

Et

Et curas Latii Patris ſerenas,
Et noſtri rapis ingenI calorem.
Veſtris nunc opus eſt choris, venite
Suaves Lætitiæ, venite Plauſus,
Cantus, Gaudia, Gratiæ, Camœnæ.
Feſtivo Genium vocate ludo,
Et ſertis, & odoribus Sabæis;
Et natalitiis adeſte ſacris
Fauſtis ominibus, boniſque verbis.
Sollemnem Februarii reduxit
Quinquageſima ſexta bruma lucem:
Natales FABII canamus Idus.
Idus tot maris Indici lapillis
Signandas, quot hiems creat pruinas,
Quot ver purpureum per arva flores;
Quot votis celebravit, & coronis
Natalem Venuſina Muſa lucem
Mœcenatis agens, Aprilis Idus;
Quot votis cumulavit, & coronis
Idus, Mercurii diem, vetuſtas
Maio ſidere, nobileſque partu
Octobres coluit Maronis Idus.
Ergò cùm ſuperas beatus infans
Natus Chiſiades, futurus Heros,
Blando murmure perſonaret auras,
Vagitus tener, ac rudes querelæ
Commiſſæ Zephyris, procul remotas
Parnaſſi geminis novem Camœnas
Excivere jugis, Claroque Phœbum,
Et Pandionis arcibus Minervam.
Illæ Pegaſeos repentè fontes
Liquerunt, & Hyanthias cavernas,

Et

Et Pindi virides tulere lauros,
Et molles violas, rosæque florem,
Parvis munera delicata cunis.
Princeps Calliope labella primùm
Permulsit tribus osculis puelli,
Et vatum simul entheos furores
Afflavit, tenerosque fronde crines
Cinxit Bacche tua, tuaque, Daphne;
Nostris Orphea gratulata terris
Dono Cælituum novo renatum.
Hinc fati quoque consciæ sorores
Arrisere Deæ, lyramque Pæan
Donavit puero; puer jocosus
Arreptas digito fides procaci
Prensavit, fidium daturus omen,
Ut quondam dedit Hercules tenellus
Omen roboris anguibus peremtis.
Tunc amplexa tenacibus lacertis
Mellitum stupet undecumque Pallas
Infantem, cerebrumque mollicellum
Implet numinis, ac suas olivas
Pacis præmia subligat corymbis.
Adsunt, & comitum trahunt catervas,
Linquentes Ciceronis æviterni
Pictum veris honoribus sepulcrum,
(Quo fixêre domum) diserta Pitho,
Facundus Lepor, aureumque nodum
Segnes solvere Gratiæ sodales,
Jucundique Sales, & elegantes
Doctarum facies Facetiarum.
Quæ postquam niveam ligustra nubem
Fuderunt beneolentibus canistris,

Et

Et felicibus irrigata succis
Sacri nectaris ora miscuerunt:
Quales Cecropii Platonis olim,
Quales gutture Pindari canoro,
Quales Ambrosiis apes labellis;
Matres ambrosiæ leves crearunt:
Dilectis etiam redux ab astris
Virtus remige venit usa cycno,
Quæ faustos simul augurata soles,
Et primo similes dies metallo
Promisit puero, faces honesti
Admovit, nivibusque concolorem
Puris moribus indidit nitorem.
Quin & sidereus Pudor modesta
Vivo murice temperavit ora,
Et castos Amor innocens ocellos
Accendit radiis ab axe raptis,
Et Clementia nubibus remotis
Frontem finxit amabilem videri.
At custos animum fidelis omnem
Munit Relligio timore Divûm;
Et contra mala, lividamque sortem
Constans ægide Fortitudo pectus.
Tali Chisiacas honore cunas
Dignatos Superûm choros frequentûm
Actutùm variæ viæ reportant.
Virtutes patrium petunt Olympum,
Et quà se tenues levant per auras,
Auræ deciduis pluunt ligustris,
Narcissisque, rosisque, liliisque.
Cyrrham Pierides, Claron revisit
Musarum pater, Atticas Athenas

Pallas, Suada ſuam diſerta ſedem.
Gratantur redeuntibus Napææ,
Occurrunt Dryades, leveſque Fauni.
Tellus luteolas benigna calthas
Submittit, violaſque, amaracoſque.
Miteſcit poſitis furor procellis
Tyrrheni maris: Africis fugatis,
In regnum lepidæ Favoniorum
Succedunt animæ beatiorum,
Et ſolæ dominantur axe toto.
Lætas intereà virere ripas
Vernis floribus, ac roſis caducis
Spargi flumina, leniterque motas
Admiratus aquas tepere blandis
Aurarum Zephyritidum ſuſurris,
Umbro [1] populeâ caput coronâ
Umbratum placidis levavit undis.
Quando ſuppoſitâ reclinis urnâ,
Muſcoſum latus hinc & inde Nymphis
Circumſtantibus, Orciaque, & Aſsâ,
Et Merſâ, & Soro, & Arbiâ, & Malenâ,
Sordes abluit: ille mox jacentem
Mento canitiem manu remulſit,
Et ſic fatidico locutus ore eſt:
Ergò pollicitam benigna fata
Invenere viam, ſagax futuri
Quæ Proteus mihi cærulus ſolebat
Noſtris pandere gratus hoſpes antris?
Ergò jam genitus [2] beatus infans,

In-

1 Umbro nobile Hetruriæ flumen, de quo Rutilius in Itinerario, & Plinius lib. 3. cap. 5.

2 Idibus Feb. an. 1599. Senis in Hetruriâ natus, parentibus Flavio Chiſio & Laurâ Marſiliâ.

Infans Chisiades, recens Hetruscæ
Gentis delicium, decusque Senæ
Expectatus adest? adest petitus?
Sic est: prodigio rigentis anni
Venturæ manifesta signa sortis
Solvunt ambiguam timore mentem.
O felix nimis! ô beata tellus!
Nullis urbibus, & secunda nullis
Tanto cive futura Sena terris!
Felix Chisiadûm domus parentum!
Summorum genitrix domus virorum!
Quamvis imperio maris potentes
Portus Herculeos, [3] Cosæ ruinis
Vicinos Lepidi fugâ notatæ;
Et quondam moderata [4] Macereti
Arces turrigeras, genus vetustum
Jactes nobilium Ranutiorum.
Quamvis perpetuum decus nepotum,
Illustres animas, piosque Janos
Tusci nobile germen Iliceti;
Augustos celebres amore vatum,
Anselmos, Mariosque, Flaviosque
Armis conspicuos, togâ verendos:
Jactes & columen Jugis avitis,
Et Stellis jubar additum coruscis
Quercum robore [5] Julio superbam;

Majo-

3 Petrus Bembus in Epistolis nomine Leonis X. Pont. Max. scriptis, *lib. 7. epist. 21.*

4 Maceretum oppidum ditionis Senensis, cujus quatuor abhinc sæcula dominus Anselmus Chisius Frederico Cæsari militavit: nunc præter ruinas & balnea salutifera nihil de eo reliqui fecit vetustas.

5 Julius II. Pont. Max. Roboreæ gentis suæ insignibus Chisios donavit: ex quo tempore Quercum Montibus & Stellis adjecerunt.

Majorem tibi comparabit unus
Famam Chiſiades: & ille quondam
Inter ſemideos erit Latinos.
Poſtquam dulcibus expeditus ulnis
Matris Marſiliæ, ſolum paternum
Signabit pede jam timente falli,
Ingreſſus duce ſemitam fideli,
( Quam ſudoribus improbis madentem
Virtutis labor Herculi ſequendam
Monſtravit teneris adhuc in annis )
Tentabit ſubitò vireta [6] Cyrrhæ,
Et rupes Heliconias, & umbras
Doctæ Phocidos, Atticoſque lucos,
Et ſacros Academiæ receſſus.
Cùm luſtris adoleverit duobus,
Ingens ingenii ſagacis ardor
Ætatem culicis Maroniani
Ictu fulminis ocior triſulci,
Undâ fluminis ocior citati,
Prævertet, memorique digna cedro
Vates carmina finget, & ſeveræ
Maturus ſapientiæ ſatelles
Diſcet [7] Socraticas puellus artes.
Multum Phillyridæ datus magiſtro
Pelides, & Olympicæ quadrigæ
Debent plauſibus, & citantis axem
Aurigæ ſtimulis: at ille ſolo
Nativi celer impetu caloris
Fontes ſponte ſuâ petet beatos

E Pulcra-

6 Domeſticis uſus præceptoribus in Poëſi & politioribus literis.

7 Duodecim annos natus, intra privatos parietes Philoſophicas theſes defendit.

Pulcrarum cupidus ſcientiarum.
At mox Palladias valere [8] curas
Longis excubiis, & ægra doctis
Muſarum ſtudiis ſalus jubebit.
Sic quæ divitis Indiæ potentes
Theſauros rapit, ac latus ſiniſtrum
Præbet continuis ſali procellis,
Ventorumque minis, nec ulla vitat
Audax navifragi pericla ponti,
Tandem mergitur, aut fatiſcit alnus
Silvæ filia nobilis vetuſtæ;
Securis niſi portubus potita
Quaſſatum reparet quiete malum.
Tum poſt otia lætiore curſu
Ipſos auſa volare præter Euros
Ad noſtras peregrina dona ripas
Soſpes devehit ultimis ab oris.
Quare viribus integer receptis,
Sancto pectora concitatus œſtro
Viſet limina [9] conſecrata verbo
Clauſo Virgineæ Parentis alvo,
Picenis ubi collibus reſedit
Laureti domus, Adriæ per undas
Illuc vecta, piis onus catervis
Cœleſtûm ſubeuntibus Quiritum.
Jam nunc impatiens latere, clauſus
Privato lare, publicas palæſtras
Stagiræ, [10] cathedraſque, porticuſque,

Et

8 Proximè ſequentibus duobus annis vacare cogitur à ſtudiis, ſtomachi imbecillitate laborans: intereà recolit Philoſophiæ humaniorumqne literarum diſciplinas.

9 Decimo ſexto ætatis anno voti reus Lauretanum iter ſuſcepit.

10 Viginti annos natus, & expleto ſtudii quinquennio, Senis publicas Philoſophiæ theſes proponit & defendit.

Et ſacraria maximi Platonis
Sublimis vigor ingenI requiret.
Hîc quicquid polus ambitu ſereno,
Et tellus gremio, Thetis profundo,
Et natura ſinu fovet capaci,
Argutæ rationis in ſtaterâ
Scrutatum penitùs, magiſtra recti
Auguſtis penetralibus clientem
Admittet [11] Themis, imperIque formam
Et decreta docebit æqua legum.
Seu quæ Cecropiis Solon Athenis,
Et Spartæ rigidus tulit Lycurgus,
Seu juſtus Numa gentibus Latinis,
Et bis ſex tabulæ Decemvirorum:
Seu quæ Romuleæ verendus Urbis
Antiſtes dedit, inclytuſque Cæſar
Immenſi dominator altus orbis.
Hinc deſiderii ferente pennâ
Alto certius Icari volatu
Pernicem rapiet ſub aſtra mentem
Divinæ Sophiæ [12] ſagax Aquinas,
Et velata fides, & alma cæli
Majeſtas ſuperas recludet arces,
Et ſeſe dabit, ac Deum videndum,
Et puram ſine nube veritatem.
Tandem [13] promeritos virente crines
Serto triplicis impedire lauri
Certabunt Themis, & ſevera Pallas,

 Et

11 Unum & viginti annos natus, publicas de jure civili theſes tuetur.
12 Septem & viginti annos natus, de universâ Theologiâ publicè Senis diſputat.
13 Anno 1623. 6. Septembris Philoſophiæ; 14. Septembris eodem anno Juriſprudentiæ; 1626. 6. Septembris Theologiæ Doctor renuntiatus fuit ſummâ omnium approbatione.

Et de Numine differens supremo
Cæleſtis ſapientiæ facultas.
Sic donis [14] ſibi debitis potitus
Magnarum novus artium Senator
Auguſtum patriæ reget Lyceum.
Mox Senâ procul impiger relictâ,
Qualis fulva Jovis Tonantis ales
Nido migrat, & experitur aſtris
Dignam teſtibus indolem parentis,
Antiquæ cupiet theatra [15] Romæ,
Et mundi dominos videre colles.
O quæ gloria! quanta ſurget illic
Claro Chiſiadæ ſeges laborum!
Nobis tanta nefas canendo famæ
Incrementa ſequi, vetante Proteo,
Quæ cautus monuit tacenda vates.
Et jam me ſoliti vocant labores,
Et vos, Naïades citant liquores.
Hæc Nymphis pater elocutus Umbro,
Tuſcorum decus amnium, tumenti
Seſe ſpumeus alveo recondit.
Tum lævo tonuit ter axe cæli
Fatis addere viſus auſpicatis
Dextram Juppiter approbationem.
Quali murmure ſiderum frementûm
Tuſcus ſæpe ſuam probavit artem
Dilectus ſuperis Tages aruſpex.
Nec præſagia poſteris in annis
Veri certa fides Deum fefellit.
Dum nos grandibus æmulos poëtis

Muſa-

14 Eodem anno 1626. trium facultatum Collegio adſcribitur.
15 Anno 1626. 10. Decembris Romam venit.

Musarum Juvenilium labores
Miramur, Lyricique vatis auram,
Et dignum tragico pedem cothurno.
Seu primo cecinisse doctus ævo
Pompeî lacrymabilem peremti
Fortunam, Pharii scelus Canopi
Damnavit pius, ac truces Achillæ
Perjuri furias, misertus æquam
Ingentis generi labare causam,
Quæ sit victa licet, Catone magno
Et se vindice non tuetur uno.
Seu justi nimis impotens doloris
Letum nobile, Martiamque dextram
Luxit Marsilii gemente plectro,
Dum fortis cadit hostium ruentûm
Inter funera, prodigusque vitæ
Pulcro sanguine decolorat æquor.
Seu notum Canis æstuantis astro
Trituræ genus & modos Hetruscæ
Cantavit, Cererisque serta lauro
Vates nexuit, & siticulosam
Æstatem Clariis rigavit undis.
O rus, ô nemus, ô beata Tempe!
Villæ, jugera dulcis [16] Ancarani,
Jucundis loca Tusculi viretis,
Udo Tybure, Formiis amœnis,
Et blandis mage delicata Baiis,
Vicinæ nimis invidenda Senæ!
Vitavit quoties negotiosæ
Urbis mœnia, carminumque fetus



16 Ancaranum Chisiorum villa amœnissima non procul ab urbe Senarum, opportunus Musarum secessus, ubi admodum adolescens Pompeium Tragœdiam scripsit.

Frondosis ibi Chisius sub umbris
Obstetricibus edidit Camœnis!
At quis sufficiat referre plausus
Famæ præmia, publicasque laudes,
Quas docti tulit ingenî? paterno
Deserto lare, cùm profectus omnem
Ignoto rapuit stupore Romam
Præsens Chisiades, & eloquente
Cantu plus vice simplici moratus
Oblitum Tiberim viæ prioris,
Alcides novus aureis catenis
Tuscorum simul Ausonumque Suadæ
Sacro murice nobilem Senatum,
Et subsellia traxit alta vatum,
Vocalis quibus Humor Hippocrenes
Largæ nomina fecit apta venæ.
Idem Sulpitios, & Ulpianos,
Et Paullos imitatus, & Catones,
Cùm responsa dedit, fori querelas
Expertus tetricas, gravesque causas
Oravit, Latiæ [17] datus sacerdos
Astræx, veterum patere legum
Nodos difficiles, & involutos
Laudavit Themis; & Rigor severus,
Et Juris comites Fides, & Æquum,
Et Fas, judicis aut sui patroni
Stiparunt latus; integramque dextram
Fugerunt avidi Cupido lucri,
Turpes Insidiæ, malæque Lites,
Et Fraus, & faciles emi Favores.

Sic

17 Anno 1629. mense Januario, utriusque, quam vocant, Signaturæ factus est Referendarius.

Sic postquam teneris adulta virtus
Annis Chisiadæ dedit futuris
Omen laudibus, arduisque curis
Prælusit gravium negotiorum
Astrææ studiis, & arte Phœbi,
Turritum caput altiùs levavit
Septem collibus, & favente nutu
Lætis plaudere visa Roma fatis;
Nec mœstas Cremeræ tumentis undas,
Nec Veios meminit dolens, & uno
Felices FABIO vocavit Idus
Fatalem FABIIS [18] diem trecentis.

# JANICULUS

## *De Villâ Hieronymi Farnesii, S. R. E. Cardinalis, sitâ ad portam Aureliam.*

QUamvis Janiculum vocent, nec inter
Septem mî juga dent locum Quirites,
Clarus non ideo minùs sepulcro
Et Jani patris & Numæ, propinquum
Tollo nubibus arduis cacumen.
Vel Farnesia villa ( quam remoti
Prospectus maris, & salubre cælum,
Et felix situs, & loci vetustas,
Et vultus domini beat, decusque
Ingens Patribus additi Latinis )
Tantos dat mihi spiritus, ut ipsa



18 Idib. Feb. sex & trecenti ex Fabiis Veienti prælio interemti. *Ovid. l.* II. *Fast.*

Tali munere lætus astra summo
Tangam vertice, Romulosque colles
Nostris despiciam jugis minores,
Et rerum Dominam superbus Urbem.

## DONUM NATALITIUM
## ALEXANDRO VII. P. O. M.

*Idibus Februariis, Anno* M. DC. LXI. *oblatum.*

MOs inde à veteri receptus ævo,
Ut natalitio die clientes
Ultro muneribus colant Patronos.
Proin, quando niveo notanda signo
Natales tibi lux reducit Idus,
Suetâ, MAGNE PARENS, benignitate
Donum, oro, famuli tui pusillum,
Chartas accipias; quibus levamen
Quæratur gravibus subinde curis.
Hinc sacros releges pius libellos;
Et res Isacidûm Patrum, Ducumque,
Et Regum memoranda facta, & arma
Eductamque Deo sub astra molem:
Illinc Austriadûm videre vultus
Spirantes Procerumque, Cæsarumque
Heroasque juvabit intueri,
Musarum columen, decusque Martis,
Sollers quæ manus, ingenIque mira
Virtus mollibus edidit figuris.
At festam referente sole lucem,
Latè porticus alta Vaticanam

Ample-

Amplectentibus aream columnis;
Et navalia, templa, portæ & ædes,
Et fontes salientibus rigantes
Urbem, perpetuis viis patentem,
Doctâ forsitan offerentur arte
Æri incisa Tibi: sed illa quantò
Mox expressa perenniùs canoris
Vatum carminibus, per ora vulgi
Laudes usque tuas ferent, ab ortu
Primo solis ad ultimum cubile?

## AD
## BERNARDUM ROTTENDORFF

*Archiatrum Monasteriensem, de insulsissimis Conradi Biermanni versibus dono missis.*

NUper quòd mihi pessimi poëtæ
Scabros, illepidos, & invenustos
Mîsti versiculos, amice, dignas
Tali munere gratias habemus,
Rottendorffe, tibi, novem Sororum
Et Phœbi decus: hæc enim venena
Gustanti stomachus repentè motus,
Tussis quando levem minata febrim
Quassabat latus, & câput gravedo
Torquebat, simul expulit nocentes
Morbi relliquias prioris omnes.
Ast ut carmina pessimi poëtæ
Sic mî reddere visa sint salutem,
Tu posthac cave, ne modi remittas

 Hujus

Hujus munera, peſtilentiora
Morbis omnibus, omnibus venenis.
Contrà ſi facies, ſcias neceſſe eſt,
Actutùm piperi togam datura,
Aut nidum tineis araneiſque,
Aut pœnam ſubitura, quam Catullo
Pleni ruris & infacetiarum
Annales Voluſi dedêre vatis.

## DE
# MOPSO FIDISSIMO CANE
*mortuo.*

MOpſus hîc jaceo, canis venuſtus
Longis auriculis, & ore pando,
Cuſtos aſſiduus domi foriſque
Noſtri Principis, & comes fidelis:
Equo ſeu fuit ire, ſive curru,
Seu tritâ pedibus viâ voluptas.
Hinc me carior haud erat; nec alter
Poſthac eſt aliis futurus annis
Me carus magis, aut magis peritus
Blandiri Domino; & ſagax natantes
Venari medias aves per undas;
Gyros carpere, & exilire in altum,
Et greſſus glomerare tam ſuperbos,
Quàm non ullus equum docet magiſter.
Nunc fractum ſenio peremit ætas,
Et grati pietas Heri peremptum
Urnâ compoſuit. Sed atra tantum

Functo

Functo mors mihi non dolet, dolenti
Quanto, quod domino, mei reliqui
Heu! desiderium, mihi dolori est.

AD

## JOANNEM VVISSE

Attendoriensem, è Societate Jesu,

*In Academia Paderbornensi SS. Theologiæ Doctorem, Gallinam & duos serpentes eodem in nido ovis incubantes, prope villam Collinam in Diœcesi Paderbornensi An.* M. DC. LXVIII. *hoc extemporali epigrammate describentem.*

JUxta humilem gallina casam male provida, putri
  Urticas inter nidificarat humo.
En coluber geminus cæco prolapsus ab antro,
  Ova super multo lubricus orbe cubat.
Nil trepidat gallina; duos super incubat angues,
  Officii mater gnava tenaxque sui.
Nec cessat coluber; sub plumâ matris & ungue,
  Quod neuter peperit, fotus uterque fovet,
Et facit ambiguam foto de semine litem,
  Sit pullus colubri, sitne futurus, avis.
Femina decidit litem, non ore, nec ense,
  At fude vipereum comminuendo caput.
Pythonem jaculis armatus stravit Apollo,
  Occidit colubros Bructera Nympha duos.

Respon-

*Responsum Auctoris.*

EN pro versiculis tuis, amice,
Unâ qui simul incubatione
Invisâ priùs ova confoventes,
Gallinam,& geminos canunt colubros,
Iratæ sude villicæ peremptos;
Insignes tibi mittimus rubenti
Cancros tergore, brachiisque curvis,
Villæ munera; nec minus precamur,
Illorum dape lætus ut fruaris,
Et, te judice, delicatiori
Sic omnes superent sapore pisces;
Ut, me judice, carminum tuorum
Binus munere consecratus anguis
Immortalibus usque & usque sæclis,
Pythonem super, & laboriosi
Alcidæ celebrem levatus Hydram,
Inter sidereos micabit ignes.

## AD
## CLEMENTEM X. P. O. M.

*Octogesimo ætatis anno, paucis ante Clementis* IX. *Pontif. mortem diebus, Cardinalem, ac proximis inde Comitiis Vaticanis summum Pontificem renunciatum. An.* M. DC. LXX. III. *Kal. Maii.*

CLemens, optime Romuli nepotum,
Princeps & patriæ parens, & orbis,

Quan-

Quando muneribus tuis rependam
Grates, quas ego debeo perennes
In me tot meritis tuis, meúſque
Mecum debet, & uſque debiturum
Frater ſe meritis tuis fatetur?
Sed dignas prohibet referre grates
Ingens copia munerum tuorum.
Ergo quæ pietas amorque dictat,
Et blando recipit benigna vultu
Majeſtas tua, pro tuâ ſalute,
Nec non imperio tuo precantes,
Votis nectimus auſpicata vota;
Ut Te nemo diutiùs Quiritum,
Doctrinâ, ingenioque, moribuſque
Dignis murice, debuit mereri
Serum purpurei decus ſenatûs,
Et nemo citiuſque, digniuſque eſt
Summis orbis honoribus potitus;
Sic Te nemo diutiùs Quiritum,
Summis orbis honoribus fruatur.

# AD MATHIAM NALDUM,

## ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX. MEDICUM INTIMUM,

*Aphoriſmos Hippocratis notis illuſtratos Flavio Chiſio S. R. E. Card. ampliſſimo dedicantem.*

PHœbi ſacrarum præſidis Camœnarum
Artiſque, morbos quæ domare ceſſantes

Potens

Potens medelis, & salubribus succis,
Secanda profert sæpe fila Parcarum,
Decus perenne, maximoque ALEXANDRO
Dignus Machaon, quid moraris in dias
Emittere auras luminis, senis Coi
Divina, Nalde, scita? quæ dies longa,
Et imperita turba plurimis mendis
Opplerat, hactenusque noverant pauci:
At mox, favente Delio, tuis curis
Detersa, doctrinæque luce perfusa
Legentur, & quà Sol renatus Eoo
Surgit cubili, quaque conditur fluctu.
Quare secundo munus inclytum plausu
Volare docta per virûm sinas ora
Latè, benigno, Nalde, FLAVII tutum
Favore, nuper arte qui tuâ, multâ
Cum laude, rebus restitutus Urbanis,
Regnique curis, publicæque terrarum
Felicitati, PATRUOQUE servatus
Excipiet, usque muneris memor tanti,
Tui sereno lumine ingenI fetum:
Ejusque sidere actus invidus livor,
Et Zoilorum turba cedet, ut nubes
Fugit corusci pulsa Solis aspectu,
Pontique sævientis atra tempestas,
Simul refulsit alba stella Pollucis.

AD

# JACOBUM PHILIPPUM NINIUM,

## ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX.

*Cubicularium intimum, & supplicibus libellis præpositum.*

NINI meorum lecte flos amicorum,
Cui melle Hyblæo dulcius fluit puræ
Orationis nectar ore facundo,
Rerum potenti cùm refers ALEXANDRO
Negotiosa supplicantium vota.
Humanitatis sæpius tuæ fructum
Expertus, oro, teque rursus obtestor,
Ociùs amici supplices preces nostri
Recites. Quiritum namque fata formidans,
Acerba fata, sospes ad suos Boios
Avet redire, carbasisque remisque
Fugæ secundos provocantibus ventos
Per arva latè vectus alta Neptuni
Adire litus hospitale Gallorum.
At Vaticanæ dona nunc potestatis,
Cui paret æther, inferique, tellusque,
Tantùm requirit. Impios canis prægnans,
Parræque cantus, montibusque decurrens
Lupa Lanuvinis, imbriumque divina
Avis imminentûm terreat: quid huic obstet,

Iterque

Iterque rumpat, si, quod unicè poscit,
Cursus precetur prosperos ALEXANDER.

## AD NATALEM RONDININUM.
### JOCUS.

QUod utrique nostrûm commodavit argentum
Ad vestiendum Græculum Favoritus,
Cur Rondinine debuisse me solum
Reglutinare judicas, minùs rectè
In me retorquens negligentiæ culpam?
Debere nulli me libentiùs novit
Idem ille, semper qui mihi Favoritus
Facit benignè, mutuæ voluntatis
Fideique certus usquequaque constantis.
Ne creditoris ergò debitor partes
Agas, amice, non rogatus obtestor;
Quin ipse cures, ut bonum sies nomen,
Fidemque semper æmulere Germanam.

## IN AUCTOREM
*Inepti epigrammatis, in Augustinum Favoritum scripti, quo ultimam syllabam* ꝫ *ALIPES, de Pegaso loquens, corripuit.*

INsulse vates, quid (malùm) Favorito,
Musarum ocello, quem volare Parnassi
Utroque tutum suspicit jugo Phœbus,
Casum ominaris, Icarique fortunam?
Potiùs timendum est pessimo Poëtarum

Tibi,

Tibi, per caputque pedesque ne ruas præceps,
Ut Lampsacenus ille, monte Pimplæo;
Pœnasque dignas ALIPES Medusæus
Centum reposcat calcibus, quòd extremo
Pede immerentem claudicare fecisti.

## AUGUSTINI FAVORITI

*Responsum.*

QUòd usque ab Adriatico in Favoritum
Adunca torvus cornua, ac truces armat
Dentes Poëta pessimus poëtarum,
In immerentem sæviens & ignotum,
Ignotus ipse; vapulare, Fernande,
Fortasse meruit: Pegasum quòd offendit,
Haud jure vatem criminaris; in toto
Nil ille fecit elegantius libro:
Pes namque claudus Pegasi, ut tuâ fecit
Tam dulce carmen prosiliret è venâ.

## ALEXANDRO VII.

### PONT. OPT. MAX.

*Calendis Januariis An.* M. DC. LXVI. *felicitatem precatur.*

CUr Musa longo desides silentio,
Aurata quondam docta fila tangere
Citharæ loquacis? quin Alexandro novis
Jani Calendis dona depromis nova;
Aut digna Majestate si tantâ nequis

F Affer-

Afferre, vota nuncupans ſollemnia
Pro re Latinâ, proque gente Chiſiâ,
Quot vere flores educat Favonius,
Æſtate ariſtas flava quot numerat Ceres,
Autumnus & quot pingit uvas purpurâ,
Frondes quot altis decutit ſilvis hiems,
Felicitatis tot precare Maximo
Donis refertos vehat Alexandro dies
NUMERIS HIC [1] ANNUS ABSOLUTUS OMNIBUS.

## AD
# FABIUM CHISIUM

*Epiſcopum Neritonenſem, Innocentii* X. *Pont. Opt. Max. cum poteſtate Legati de latere Nuntium, & Pacis inter Europæ Principes conciliandæ Mediatorem, Monaſterii Weſtphalorum, cùm auctor illic per æſtatem ageret. An.* M. DC. XLVI.

FABI, ſiniſtro jam nimiùm diu
Dépræliantûm Numine Principum
Delecte pacator, ſuumque
Orbis in exitium ruentis
Spes fida, nec non Palladis, ac novem
Decus Sororum, perge tuis, precor,
Suadere Muſis, aureamque
Exilio revocare Pacem.
Gaudent amoris fœdere mutui
Pax & Camœnæ. Tuta placet quies
Utriſque, nullo claſſicorum
Rupta ſono, tonitruque belli;

Et

1. Omnes literæ numerales, quotquot ſunt in Alphabeto Latino, ordine in his M. DC. LXVI. exhibentur.

Et quæ ſacrarum Cecropis arcium
Regina claris præſidet artibus,
Utrimque communes olivæ
Vendicat ingenioſa Pallas

Cum Pace ramos. Tam bene convenit
Cum Pace doctis Vatibus, & Tibi,
Quem prima fulgentis metalli
Sæcla jubet renovare Pacis

COLUMBA[1] miti germine Palladis;
Quem ſigna QUERCUS inclyta CHISIÆ
Ramis decuſſatim ligatis
Vincla monent reparare Pacis.

Quin ergo noſtris finibus ad Getas
Martem repellis: nam Deus omnibus
In nos obarmavit nocendi
Artibus, inſidiiſque Martem,

Lethumque, & atris Eſuriem genis,
Et ponè ſciſſis Tiſiphonen comis
Subire juſſit, cladibuſque
Innumeris cumulare clades.

Non ante Virtus oppida, non agros
Cornu reviſet Copia divite,
Non ante Strages, & Malorum
Mille procul fugient catervæ.

Quis pace gaudet ſanguine civium?
Quis pace luget militiæ gravis
Tributa? vicorumque mœſtis
Funeribus, viduiſque campis

 Illa-

1. Inſigne domus Pamphiliæ, ex qua ortus Innocentius X.

Illacrymatur? nec potius mero,
Cantuque curas & fide Teïa
Sub hospitâli fallit umbrâ,
Quà vitreæ fuga ludit undæ,

Aut quà jocosis lenè Favoniis
Impulsa quercus garrula proximam
Quercum salutat, sub virenti
Tristitiam tumulat sepulcro?

Tunc læta culmis arva feracibus
Stipata rumpunt horrea frugibus,
Nostrâque mercator Batavus
Messe suas onerat carinas.

Tunc uva certat plurima purpuræ,
Pomisque vinctus tempora mitibus
Autumnus ad plenum beatas
Fundit opes avidis colonis.

## AD
## AMICOS GERMANOS
### *in Italiam proficiscens An.* M. DC.LII. *ineunte Aprili.*

IMus in Ausoniam: pressis jam pugnat habenis,
Iterque læto poscit hinnitu fremens
Cyllarus, impatiensque moræ pede spargit arenam,
Prætervolare gestit & cursu Notos.
Imus, & assueti Dircæo sidera cygno,
Phœbique sacrum Pegaso vecti nemus
Visere, jam mediis insertas nubibus Alpes,
Quà fabulosam stravit Alcides viam,

Aut,

Aut, quà Pœnorum ductor juga rupit aceto,
Flammiſque cautes torridas ferro ſcidit,
Scandemus celeres; nec poſt diſcrimina terræ,
Tumultuoſos Adriæ fluctus maris
Securi Venetâ metuemus frangere cymbâ,
Delphine Arion ſi natat tutus ſuo.
Nunc igitur dilecta domus, fratreſque, ſororeſque,
Et vos, Nepotes, dulcis ætatis roſa,
Fürſtenbergiacæ memores virtutis Iüli,
Valete, noſtri generis optatum jubar.
Vivite cæleſtes animæ, meliore metallo
Certam trahentes ſæculi primi notam,
Quas amor, & Muſæ doctâ cum Pallade nobis
Conſtante ſemper alligaverunt fide.
[1] Velde vale, primùm quô noſtra Thalia magiſtrô
Libare fontes auſa Caſtalios fuit,
Hiſtoriæ vatumque decus, Suadæque Latinæ;
Et qui, Camœnis pariter ac carus mihi,
Me juvenem teneris curâ complexus ab annis,
[2] Höninge fidâ, doctus ut Chiron, manu
Duxiſti, Patrui quò per veſtigia Virtus
Domûs avitæ gloriam ſequi jubet.
Te quoque [3] Veckeni, præclarum Scaldis alumnum,
Noſtroque lumen mutuum Rheno datum
Doctrinæ, Sophiæque, ſacer quam tradit Aquinas:
Et te [4] Maſeni, magna Pindi gloria,
Amplector; dextramque tuam [5] Crumbache, tuamque
Longum, [6] Geleni, ſtringo dicturus vale.

 Sed

1 Joannes Velde S. J. 2 Fridericus Höning Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus. 3 Franciſcus van der Vecken S. J. 4 Jacobus Maſen S.J. 5 Hermannus Crumbach S. J. 6 Ægidius Gelenius.

Sed [7] Mallincrodios, & te suavissime [8] Torcki,
Et utrâque Phœbi laude [9] Rottendorffios
Præstantes, ævi clarissima lumina nostri,
Amor salutis noster absentes colit
Eminus obsequio. Nec te, [10] Bollande, disertum
Antiquitatis sanctioris Livium
Præterit, aut numerose tuas, [11] Baldæe, Camœnas,
Vatemque veris floridum [12] Bisselium.
Omnibus impertit, quæ basia debet, amicis
Gaudere jussis & valere longiùs.
Sed me tam caros linquentem Roma sodales
Communis orbis universi civitas
Allicit, & Latiæ rapiunt miracula terræ;
Seu quæ vetusta, seu recens ætas tulit.
Jam Paderæ Tybrim, jam septem præfero colles
Angariorum montium cacumini.
Jam mea [13] Bilstenias fugio cunabula rupes,
Et, qui propinquo mons Caballinus jugo
Surgit, & accipitres pernicibus educat alis
Certare doctos ardeis Britannicis.
Præcipuè commendat iter mihi gratia præsens,
Et purpurati CHISII recens honos;
Qui movisse potens vel avitas carmine quercus
Facundus Orpheus Nos in Ausoniam trahit.

7 Bernardus Mallincrodius Decanus Monasteriensis. 8 Joannes Rotgerus Torckius Canonicus Monaster. 9 Bernardus Rottendorffius archiater Monasteriensis. 10 Joannes Bollandus S. J. 11 Jacobus Balde S. J. 12 Joannes Bisselius S. J.

13 Bilstenia arx Angariæ munitissima, dynastiæ cognominis, in altissima rupe sita, in qua auctor horum Poëmatum an. 1626. 21. Octob. natus fuit, propinquum habet montem Caballinum, vulgo Rossenberg nuncupatum.

## AD
# NICOLAUM HEINSIUM,

*& Lucam Langermannum, Româ Florentiam discedentes, An.* M DC. LII. 3. *Kal. Julii.*

NObile par juvenum, soboles præclara parentum,
  Candida Theseï biga sodalitii;
Quàm lætus fuit ille dies, quàm risit amico
  Lumine, vos primus quô mihi junxit amor!
Quô tres una domus cepit, facilesque Camœnæ
  Jusserunt Charitum nectere lege manus.
Ille dies rerum dominam mihi cernere Romam,
  Et quicquid priscæ rudera laudis habent;
Ille Quirinales accedere Principis arces,
  Chisiadæ Musis præsidioque frui;
Ille dedit Latiæ mirari flumina Suadæ,
  Ille dedit vestræ carmina mentis opus.
Langermanne, tibi totas indulsit Athenas
  Græcia, delicias & tibi Roma suas;
Et quicquid Venerum formoso vertice Pindus
  Possidet, ac sacris Cyrrha propinat aquis.
At te, quod patrii ditissime numinis heres,
  Heinsiade, Batavi gloria magna soli,
Quid dicam numerosa tuas in carmina vires?
  Quid celebrem Clario pectora fœta Deo?
Niliacus rugas jam toto corpore vates
  Exuit, & calamo barbara menda tuo.
Jam quoque Pelignus tenerorum lusor amorum,
  Ut niteat, similem sperat & optat opem.

Jam Suconum laudata favet Chriſtina Poëtæ,
 Aönii columen deliciumque chori.
Se minor illa tibi ſeptem diadema Trionum
 Inclinat, plectris & ſua ſceptra tuis.
Maxima Guſtavi ſi tanti filia Regis
 Te facit, ac citharæ vis rapit illa Deas;
Heinſiade noſtros mirari deſine plauſus,
 Et, mea quos dictat Calliopea, modos.
Te mihi notus amor Phœbi, te gratia fandi
 Conciliat, magni quod Patris inſtar habes;
Non ut amare tuæ non poſſim mentis acumen,
 Et cultum variis artibus ingenium.
Sed quid amo? fortuna diu vetat eſſe beatum;
 Et, quæ prima dedit gaudia, prima necat.
En priùs optató coaleſcere cœperat uſu
 Noſter amor, noſtri Maius amoris erat;
Cùm fugitis, dilecta cohors, cùm verna voluptas
 Omnis, & in primo ſpes mihi flore perit.
Et tot delicias, & tot rapit una lepôres
 Hora nimis ſtudiis inſidioſa meis.
Ergo nec antiquo Tarpeia cacumine rupes
 Ardua, nec reliquis tot monumenta jugis,
Nec vos Roma recens, nec quæ nova ſurgit in altum
 Pyramis, & largas ejaculatur aquas;
Nec præceps Anio, nec amœni Tiburis horti,
 Tuſcula blanditiis nec tenet aura ſuis?
Nec tot amicorum lacrymæ, Vatumque querelæ,
 Nec tot propoſitum vota morantur iter?
Ah fortunato nimiùm Florentia cælo
 Vos trahit, & Tuſcis allicit Arnus aquis!
Scilicet illa viæ faſtidia vincit & auræ;
 Et deſiderio mitigat aſtra ſui:

Nec patitur valuisse preces, nec amica dolentûm
Signa, nec humentes pondus habere genas.
Ah precor, & superi saltem pia vota secundent!
Quando meas surdâ temnitis aure preces.
Auspiciis, precor, ite bonis, & numine dextro
Per juga, Flaminiâ per loca plana viâ:
Sic precor, & vobis volucer Cyllenius adsit,
Et melius virgâ, vel pede signet iter.
Sic Apennini subsidant culmina montis;
Aut tollat vates Pegasis ala duos.
Sic precor: umbrosæ veniant ad tempora lauri,
Frondibus & calidos frangat oliva dies;
Et Zephyrus blandis permulceat ora susurris,
Et levis intonsas ventilet aura comas:
Et Satyri ludis, & euntibus obvia plaudat
Naiadum pulchris juncta Napæa choris:
Sic precor; incolumes patriæ Florentia tandem
Reddat, & oblitos non velit esse mei.

## AD
## ALEXANDRUM
## POLLINUM.

INgens Ausoniæ lumen, & Atticæ
Suadæ flos, & amor Palladis, & decus
Nostræ dulce Camœnæ,
Nec non candidus arbiter,
Quid, POLLINE, latens jam nimiùm diu,
Cedro digna negas edere carmina,
Et durus pater abdis
Fetus divitis ingenI?

Non, ut delitеas, te Deus aureâ
Donavit citharâ Delphicus, & sui
Multâ parte Thalia
Versus nectaris imbuit.
Ingratus metuat lædere numina,
Qui, quæ dona sibi contulerint, premit.
Tu Parnasside lauro
Vinctus tempora, nobilem
Indulgens meritis sume superbiam,
Et te victor humo præpetibus leva
Pennis, & super alta
Certus tendere nubila,
Ales sideream carpe citus viam.
Paullùm desidiæ distat inutili
Quæ demersa profundis
Virtus in tenebris jacet.
Quis pugnata duci prælia Dardano,
Et Troiæ profugos in Latium Deos,
Quis surgentia nosset
Urbis mœnia Romulæ,
Morem si rigidis imperiis gerens
Flammis continuò Cæsar edacibus
Immortale Maronis
Commisisset opus sacri?
Verâ laude caret sæpe modestiæ
Virtus, & vitio proximus est pudor,
Qui vitare perennis
Audet lumina gloriæ.
Quòd si purpureum spontè vides diem,
Formosumque caput crinibus aureis
Altâ nocte sepultis
Terris reddere Delium,

Cur te perpetuæ noctis amor tenet,
Frustrantem cupidas Romulidûm preces,
Et spes? plena secundis
Tandem pande Favoniis
Famæ vela tuæ, finibus Italis
Qui porrecta domum Solis ad ultimam, &
Septem regna trionum
Latè nomina proferant.
Mox te Pierio carmine nobilem
Dignis posteritas tollet honoribus,
Magnorumque beatis
Vatum coetibus inseret.

## AD

# STEPHANUM GRADIUM

## ABBATEM.

SIc tibi sint faciles Musæ, sic dexter Apollo
Sororibus cum Gratiis
Adsit, & attentis bibat auribus, optime poscis
Quæ supplici GRADI prece:
Ut mihi flexanimo permotam carmine mentem
Alti tenacem consilî
Expugnas. Juvat ire jugis, juvat usque relictum
Lustrare Musarum nemus,
Et virides hederâ rupes, & rupibus undas
Haurire manantes sacris.
Sentit enim Phœbi stimulos, & pectus anhelat
Calore succensum tuo.

Non

Non tamen heroos aufim tentare cothurnos,
    Magnique laudes CHISII
Deterere ingenii culpâ. Quis namque canendo
    Æquare virtutes queat ?
Quis Melitæ curas, aut fortia facta Padufæ,
    Quis alta Romæ munera ?
Nemo difficiles pacis, mihi crede, labores
    Cantare digniùs poteft
Ipfo CHISIADE; feu ferrea Martis iniqui
    Abominatus fæcula
Luget,& undantem Germano fanguine Rhenum
    Et arma damnat impia :
Seu conjuratas Bellonæ juftius iras
    In terga verti barbara
Imperat, ac fido lacerari cornua ferro
    Lunæ fuperba Thraciæ.
Sed quæ vefanas agitat difcordia gentes ?
    Quis mutuas cædes furor ?
Quæ rabies ? aut quæ dementia fuadet amico
    Emi cruore lauream ?
Quis pudor Odryfii regnum fulcire Tyranni
    Labentis Europæ malo;
Et, Venetas qui carpat opes, permittere Cretam
    Scythæ premendam perfido ?
Parcite civili jam tandem parcite bello :
    Satis ruinas urbium
Flevimus, & fparfos cognato fanguine campos :
    Datum fatis difcordiæ.
Parcite : vel fi tantus amor vos Martis adurit,
    Si tanta regnandi fitis,
Mutatis odiis Gallus confpiret Ibero.
    Hic nota per veftigia

Regna

Regna petat Libyæ: Solymos magis ille triumphos
    Virtutis antiquæ memor
Ambiat, & palmas latè frondentis Idumes
    Victrice decerpat manu.
Ite alacres, ite ergò, mari date vela secundo
    Devota pugnæ nobili,
Ite pii Reges: conjunctas fœdere dextras
    Communis armet ultio,
Aut metus, incumbat propiùs ne barbarus hostis
    Clarâ potitus insulâ.
At nos, Germani proceres, jam pace receptâ
    Ad arma cessantes nova
Ister ad arma vocat, dudum indignantibus undis,
    Qui Bistonum pressus jugo
Servit, & excidium nobis ac damna minatur
    Extrema fortunæ gravis.
Quin igitur pulcrâ pro libertate ruentes
    Vicina Budæ mœnia
Rumpimus, & vastus quà verberat ostia Pontus
    Immugientem Bosporum
Addimus imperio, referentes signa superbis
    Derepta ByzantI tholis?
Tunc me cognatas acies, & nobile bellum
    Gravi sonantem barbito
Miratus, nostras laudarit fortè Camœnas
    Silente Rhenus alveo.
Tunc & Mœonio seu carmine nobilis arma,
    Sive efferas pedestribus
Docte GRADI historiis, ingentia facta meorum
    Seros docebis posteros.

## AD

# JOANNEM BAPTISTAM

## Turricellium, Patavinum.

### *Ne popularibus rumoribus fidem habeat.*

TU cui ſollertem rerum prudentia mentem
Formavit, & Phœbus pater
Fatidicos lucos Heliconis, & antra recluſit,
Amice, veri conſcia,
Quid bibulam dubiis donas rumoribus aurem?
Quid vana Romæ ſibila
Sollicitant animum pendentem murmure vulgi,
Ut ore doctoris puer?
Sive infanda ſonat convitia, ſive tumentes
Buccas reſolvit laudibus
Immodicis, famæ, moneo, ne crede loquaci;
Quam prævolant Calumniæ,
Inſidiæque ſequuntur, & artes mille nocendi,
Livorque lætis anxius,
Nec non Blanditiæ, corruptaque Gloria fuco,
Et emta vulgi Gratia.
Sint portenta hominum nigro ſuffuſa veneno,
Et plena falſi pectora,
Qui, dum vipereâ fingant mendacia linguâ,
Seſe poëtas æſtimant.
At ſatis exoriente die commenta patebunt
Et virulenta ſomnia,
Aut evaneſcet rumor, qui crevit eundo,
Creſcente temporis morâ,

Qua-

Qualis in Aſſyriam Gyndes exundat, & idem,
Cyro jubente, naufragum
Propter equum, latè centum diductus in amne
Decreſcit ipſo ſe minor.
Ergò ſi populi ſermonibus exul amicus
Narratur aulâ, ne favor
Illum deſtituat, ne gratia vitrea frangi,
Timere non erit tuum
Ante fidem certam, primæ niſi credulus auræ
Dolere bis velis miſer.
Sic etiam vulgo ſi cuiquam teſte paratur
Latina fortè Purpura,
Seu Vaticanæ Sedis ſuprema poteſtas,
Sperare non erit tuum.
Ne fruſtrata gemat, ne votis uſa ſecundis
Mens gaudiorum præcoci
Germine decerpto, maturos perdat honores;
Et vana ſpem ludat ſeges
Lætitiæ. Expectare licet: dilata voluptas,
Ceu lenta veris gratia,
Plus juvat, & denſis placet eluctata tenebris,
Micanſque, ceu ſol, Veritas.

## AD
## FRANCISCUM MACEDO

*Luſitanum, de morte Theodoſii Luſitaniæ Principis.*

QUalis in Heſperii, Franciſce, cubilia Ponti
Emenſus aſtrorum vias

Præ-

Præcipitat Titan, mox fluctibus exit Eois,
Crinem repexus aureum,
Pulcrior, igniferoque diem vehit axe recentem,
Et noctis umbras dissipat:
Talis Theudosius, dominantûm sanguis avorum
Utramque per solis domum,
Virtutumque paternarum non degener heres,
Et grande Lusiadûm decus,
Occidit, & raptus primævæ flore juventæ
Unà parentis arduas
Spes secat, & mœstas damnat caligine gentes,
Et regna divitis Tagi.
Nec mora: convexi surgit novus incola mundi,
Pictósque stellarum globos
Calcat, & immensi tractus speculatur Olympi
Incertus, an sidus novum
Occupet Herculei radiantia terga Leonis?
Æquamne libram Virginis?
An fratres Helenæ geminos? an Orionis ignes
Accendat æmulâ face?
Sed titulos quæcunque tuos plaga lucida cæli,
Quæcunque nomen sidera
Accipient: certè patriis sublimis ab astris,
Auguste Princeps, despicis
Sub pedibus nunc fata tuis, sortemque tuorum,
Et sceptra curas regia,
Et, si certa fides, si veri doctus Apollo
Vatum secundat omina,
Jam mixtus Superis calidâ prece Numinis iras
Franges; & auri sæcula
Prima Tago referes (qui nunc malè decolor undas
Cruore cognato trahit)

Et consanguineos in mutua fœdera Reges,
Amica pacis fœdera,
Restitues, ac bella procul (quà Bosporus audax
Ignota committit freta)
Vertet ab Hesperiæ populis in cornua Lunæ
Votis tuis motus Deus.
Tunc repetet Solymas arces, & signa profanis
Avulsa Thracum postibus
Romuleas latè victrix suspendet ad aras
Bellantis Europæ manus.
Hæc tua nunc pietas,&,adhuc dum vita manebat,
Jurata promittit fides.

## AD NATALEM
## RONDININUM.

### *De Philautiâ fugiendâ.*

QUi sua cœcus amat, ceu natos cercopithecus
Amore vesano fovet,
Et necat amplexu, formam admiratus & ora
Ridenda, visu & turpia;
Audiat exemplum sacri miserabile vatis,
Aurita qui Thracum potens
Saxa movere sono, blandâ prece carminis ima
Ditis refregit atria,
Non exorato portas adamante rigentes
Ingressus, ut raptam sibi
Eurydicen superis Proserpina redderet auris,
Lyræ sonantis præmium.

Reddita jam fuerat conjux, cùm ponè ſequentem
Jurata contra fœdera
Reſpicit infelix Orpheus, & quam nimis ardet,
Amando perdit conjugem.
Triſtia Narciſſi quis funera neſcit, & ignes?
Quem fontis umbra lucidi,
Et ſterilis decepit amor, dum prendere vultus
Imo repercuſſos vado
Sollicitus, viſæ tabeſcit imagine formæ
Amator imprudens ſui.
Ergò cave, quiſquis ſimili veſanus amore,
Apollinari laureâ
Carmina digna putas, nugis quæ plena canoris,
Sed caſſa rebus parturis
Iratis Muſis. Tantum ſitis improba laudum
Suadere amat dementiæ.
Non eadem nobis es, RONDININE, monendus,
Ocelle gentis Italæ,
Noſter amor, qui jura licet divina piorum
Perfuſa doctrinâ Patrum,
Et Latii veteres, & Graiæ Palladis artes
Claudas capaci pectore;
Non ideò temet vanus miraris, ut ales
Superba Junonis ſolet
Pandere laudatæ gemmata volumina caudæ
Ad diſcoloris Iridis
Invidiam. Quin ipſe gravis tua carmina cenſor,
Linenda cedro carmina,
Exigis ad limam, non dedignatus amici
Senſum atque mentem exquirere
Ingenui: nec theta nigrum quandoque recuſas,
Aut pollicis verſi notam.

Sic Venuſinorum ſermonum candidus audit
Judex Tibullus, & ſuos
Naſoni ſolitus recitare Propertius ignes
Arbitrio illius ſtetit.
Sic & Apelleas Lyſippus ſæpe tabellas
Colore vivo perlitas,
Signaque Lyſippi ſpirantia doctus Apelles
Curâ recognovit pari.
Nempe minùs peccat, præbere fidelibus aurem
Quicumque præceptis amat.
Nec metuit Bavios, qui ſeſe, judice recto,
Caſtigat erroris reum.
Ingenium quicumque ſuum pluris facit æquo,
Non æſtimandus poſteris,
Aut tineis epulas, aut ſcombris debet amictum,
Ridenda vulgi fabula.

## AD GUILIELMUM FURSTENBERGIUM,

*Fratrem ſuum, Canonicum Trevirenſem, Paderbornenſem & Monaſterienſem, Româ per Galliam, ubi Marſiliæ portu ob peſtilentiæ ſuſpicionem prohibitus, Telone ſuſceptus, & Lugduni gravi poſtmodùm morbo tentatus fuit, in Germaniam ad ſuos proficiſcentem An.* M. DC. LVI. *Non. Novemb.*

ERgone Tyrrhenum volitanti per mare puppi,
Et impotentibus Notis
Credulus, ire paras?

Nec fœdas hyemes, nec monſtra natantia ponto,
Nec ſaxa palles naufraga?
Quin etiam fidei
Immemor antè datæ, Romam fugis, atque ſodales,
Et fratris, ô vitâ mihi
Frater amabilior,
Deſeris amplexus votis tua vela ſequentis,
Ne ſævus illis Africus
Ingruat, aut Boreas.
Verùm age, quando fugæ certam jam nulla morari
Mentem queunt ſuſpiria,
Oceanívc minæ,
I felix, longúmque vale, celeremque carinam
Regant benigna ſidera
Fratribus unanimis
Tyndaridæ, pelagique potens Neptunus eunti
Irata componat freta,
Nereïdumque chorus
Adſit, & alma Thetis, dum ventis uſque ſecundis
Sparſas per æquor Stœchadas,
Phocaïcoſque ſinus
Attigeris. mora nulla: petas tunc ſoſpite curſu
Optamus urbem, quam celer
Alluit hinc Rhodanus,
Illinc lentus Arar. Sed quid præſaga futuri
Siniſtra fata mens timet?
Sit, precor, augurii
Vana fides, meritiſque tuis votiſque tuorum
Permota, ſpes Germaniæ
Numina reſpiciant.
Hinc infelici poſitas in rupe Gebennas
Prætervolabis, & juga
Plurima ſideribus

Pro-

Proxima tranſgreſſus, deſcendes flumine Rheno
Beata demum patriæ
Arva videre tuæ,

Arva olim proavis regnata, & cæde Latinâ
Conſperſa, quà Varus gravi
Stratus ab hoſte jacet.

Quos ego nunc plauſus audire? quot oſcula caris
Diviſa amicis, intimæ
Quas videor lacrymas

Cernere lætitiæ teſtes? quæ gaudia fratrum
Terrâ marique devium
Fratris iter reducis,

Et res optantûm noſtras, Italûmque labores,
Et facta ALEXANDRI inclyta
Noſcere? quæ dubiis

Narrabis meliùs rumoribus, ipſe fidelis
Spectator: ut pulsâ fame
Finibus Auſoniæ,

Illius auſpiciis opulento Copia cornu
Bearit urbes, & redux
Frugibus arva Ceres:

Ut nunc conſiliis præſentibus, impiger Hydræ
Qualis renaſcentis caput
Amphitryoniades,

Infeſtam Latio peſtem premat inclytus Urbis
Servator, hinc & patriæ
Audiat uſque Pater:

Nec tamen has inter curas, terraque marique
Cretæ laborantis piam
Mittere rebus opem

Ceſſet, & Europæ convertere bella furentis
In regna latè barbara
Thracis, & exitium.

Hæc & plura tuis memorans, nec vota ſilebis
Romæ precantis jam diu
Egregio juveni

Virtutis patruæ veſtigia ſacra legenti,
Decus Latinæ Purpuræ,
Et meritos titulos.

Intacti ſiquidem mores, animuſque benignus,
Ac vena dives ingenI,
Cultaque Pieriis

Artibus, & Themidos ſtudiis, ac ſub lare ſancto
Nutrita mens, & indoles
Vivida CHISIADÆ

Spem faciunt, curas partito ac pondera mundi,
Longos ALEXANDRO fore
Et ſine nube dies.

# LECTORI.

*Cum Poëmata Ferdinandi Fürstenbergii auctiora in lucem nunc iterum prodeant, benevole Lector, ipsa nos Monumenta Paderbornensia, ejusdem auctoris fetus perelegans, admonere quodammodo, & exigere videntur, ut quæ non ita pridem fuerunt seorsum edita, jam unà cum his Poëmatis publicemus: Nam etsi horum Monumentorum inscriptiones ex historia Romana, Francica, & Saxonica, ut vides, sint contextæ, quia tamen earum argumentum versu convestitur, par esse duximus præsenti Poëmatum libello illas annectere. Quodsi verò adjectæ inscriptionibus notæ, ob brevitatem fortè obscuræ, ac nimis jejunæ tibi videantur, eruditissimum auctoris commentarium consulas velim, quô jam denuo separatim Amstelodami edito, Monumenta Paderbornensia illustravit, nec patriæ antiquitatis, quàm gloriæ suæ perennius exegit monumentum. Vale.*

# ALISO ROMANUS.

## MEMORIÆ. SACRUM

SIQUIS. [1] ALISONEM. VESTIGAS. FORTE. SICAMBRIS
IMPOSITUM. DRUSI. GRANDE. NERONIS. OPUS
QUO. STETERUNT. AQUILÆ. POPULIS. QUO. ROMA. SUBACTIS
JURA. DEDIT. SIGNIS. PERNICIOSA. SUIS
HUC. PROPERA. [2] PAGO. VICINO. NOMEN. ET. AMNI
HÆRET. ADHUC. PRISCIS. NOBILE. TEMPORIBUS
LONGA. DIES. FOSSAS. LATE. COMPLEVIT. ET. HOSTIS
MOENIA. VICTRICI. DIRUIT. ALTA. MANU
FAMA. SUPERSTES. ERIT. SCRIPTORIBUS. AUCTA. LATINIS
DONEC. ALISONIS. LUPPIA. CRESCET. AQUIS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

ALISONEM. ROMANORUM. CASTELLUM. CONTRA SICAMBROS. A. NERONE. CLAUDIO. DRUSO. AD LUPPIÆ. ET. ALISONIS. CONFLUENTES. POSITUM. RERUM. GESTARUM. GLORIA. CELEBERRIMUM. DIOECESI. SUÆ. VINDICAVIT. ET. PATRIÆ. ANTIQUITATIS. ILLUSTRANDÆ. STUDIO

M. H. P

1 Velleius Paterculus. lib. 2. Tacitus lib. 2. Annal. Dio Cassius lib. 54. hist. Rom.

2 ELSEN pagus hodiedum celebris, Paderbornæ vicinus, Dioni Cassio l. 54. Ἐλίσων dictus. Philipp. Cluverius lib. 3. antiquæ Germ. cap. 9. Joan. Horrion Soc. JESU in Panegyr. Paderborn. l. 2. cap. 9. aliique.

# FONTES LUPPIÆ.

## MEMORIÆ. SACRUM

[1] LUPPIA. ROMANIS. ANNALIBUS. INCLYTUS. AMNIS
NEC. MINUS. IN. FRANCA. NOBILIS. HISTORIA
HIC. ORITUR. NOMENQUE. DEDIT. FAMAMQUE. NERONUM
QUO. SITA. MAJORIS. [2] CASTRA. FUERE. LOCO
ET. QUEM. CONCILIO. PRO. RELLIGIONE. VOCATO
SAXONIÆ. CAROLUM. [3] TER. CELEBRASSE. FERUNT
DEVENERARE. SACRUM. FLUVII. CAPUT. HOSPES. ET. ALTE
CELATIS. NILI. PRÆFER. ORIGINIBUS
QUI. LICET. INNUMERIS. TUMIDUS. PETAT. AMNIBUS. ÆQUOR
FONTE. TAMEN. MAJUS. LUPPIA. NOMEN. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. LUPPIÆ. FLUMINIS. IN. DITIONE. PADERBORNENSI. SURGENTIS. ROMANI. EXERCITUS. HIBERNIS. ET. CAROLI. M. CONCILIIS. CELEBRATOS

M. H. P

1 Mela lib. 3. cap. 3. Tacit. annal. l. 2. & hist. 5. Strabo. l. 7. Dio Caff. l. 54.
2 Velleius Paterculus l. 2. cap. 105. nunc LIPSPRING vocatur.
3 An. 776. an. 780. & an. 782. Astronomus. Regino, aliique Franciæ hist. scriptores.

# CLADES VARIANA,
## MEMORIÆ, SACRUM

EN. UBI. ROMANÆ. CLADIS. MONUMENTA. SUPERSUNT
VARUS. ET. ARMINIO. STRATUS. AB. HOSTE. JACET
ET. [1] CAMPO. IN. MEDIO. NOTUM. VICTORIA. NOMEN
SERVAT. ADHUC. NOSTRIS. INCLYTA. TEMPORIBUS
AUSPICIIS. RAPUIT. PUBES. GERMANA. SECUNDIS
IMPERII. [2] GEMINAS. NOBILE. PIGNUS. AVES
DESINAT. EUPHRATES. PARTHOS. MEMORARE. TRIUMPHOS
CLARIOR. EST. CÆSO. LUPPIA. QUINCTILIO
RAPTA. JOVI. LATIO. [3] CRASSI. SPOLIA. ILLE. PEREMPTI
REDDIDIT. HIC. AQUILAS. [4] OBTINET. USQUE. SUAS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

VARIANÆ. CLADIS. PÆNE. EXITIABILIS. ROMANIS. CÆSARE AUGUSTO. AD. TEUTOBURGIENSEM. SALTUM. INTER. AMISII. ET. LUPPIÆ. FONTES. ARMINIO. DUCE. A. CHERUSCIS BRUCTERIS. MARSIS. ET. CONTERMINIS. GENTIBUS. ILLATÆ

M. H. P.

1 WINTFELD, campus victoriæ. Justus Lipsius in notis ad Tacitum, aliique.
2 Cuspinianus in vit. Cæsar. in Octavio Augusto. Ulricus Huttenus de Germ. non degeneri.
3 Suetonius in Octavio Augusto cap. 21. aliique complures.
4 Florus lib. 4. cap. 12. *signa & aquilas duas adhuc barbari possident.*

# SALTUS TEUTOBURGIENSIS. MEMORIÆ. SACRUM

[1] TEUTOBURGENSIS. SALTUS. LOCA. VASTA. PERAGRANS
PAULISPER. COEPTUM. SISTE. VIATOR. ITER
HIC. RAPTAS. AQUILAS. CLADIS. MONUMENTA. LATINÆ.
INVENIES. VARI. RELLIQUIASQUE. DUCIS
EGIT. ET. HIC. CELEBREM. [2] THIETMALLO. TESTE. TRIUMPHUM
SAXONICAM, CAROLUS. DEPOPULATUS. HUMUM
UT. MERITO. DUBITES. ROMANA. CÆDE. CRUENTO
ARMINIO. MAJOR. NUM. SIT. HABENDUS. HONOS
SAXONIS. AN. CAROLO. VICTORI. SÆPIUS. HOSTEM
FREGIT. HIC. INDOMITUM. CONTUDIT. ILLE. SEMEL

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

SALTUM. LATINIS. TEUTOBURGIENSEM. OSNEGGUM. FRANCIS. APPELLATUM. QUINCTILII. VARI. LEGIONUMQUE TRIUM. TUMULO. ET. CAROLI. M. VICTORIA. DE. SAXONIBUS. PROPE. [3] THIETMALLI. AN. DCC. LXXXIII. REPORTATA NOBILEM. POSITO. HOC. MONUMENTO. ILLUSTRAVIT

1 Tacitus lib. 1. Annal.
2 Eginhardus de vita & gestis Caroli Magni. Vita Caroli M. apud Pithæum. aliique complures. Cluverius l. 2. antiq. Germ. cap. 19.
3 DETHMOLD Comitum Lippiensium sedes, beneficium Ecclesiæ Paderbornensis.

# FONTES AMISII.

## MEMORIÆ. SACRUM

ILLE. EGO. SUM. [1] AMISIUS. SURGENS. HIS. FONTIBUS. AMNIS
OLIM. ROMANA. NOTUS. IN. HISTORIA
QUI. CENTUM. DELABOR. AQUIS. COMITATUS. IN. ÆQUOR
ANTE. PERERRATIS. URBIBUS. ET. POPULIS
NUNC. CAPUT. OCCULTUM. RIMATUS. VALLE. SUB. IMA
FERNANDUS. NIVEO. CONDECORAT. LAPIDE
AT. TIBI. NESTOREI. MERITIS. PRO. TALIBUS. ANNI
LÆTAQUE. PERPETUO. TEMPORA. VERE. FLUANT
ET. NOMEN. FERNANDE. TUUM. SIC. CRESCAT. EUNDO
AUCTA. VELUT. NOSTRÆ. GLORIA. CRESCIT. AQUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. AMISII. ROMANIS. NOTISSIMI. FLUMINIS. IN DITIONE. PADERBORNENSI. NASCENTIS
M. H. P

HOSPES. VIVE. TUÆ. SORTIS. MEMOR. EN. EGO. PARVIS
NOBILIS. HIC. ORIOR. FONTIBUS. AMISIUS
ET. POSTQUAM. FLUVIIS. INGENTIBUS. AUCTUS. IN. ALTUM
VELA. TULI. VASTO. MERGOR. IN. OCEANO
SIC. UBI. PRINCIPIIS. MORTALIA. TENUIBUS. ORTA
CREVERUNT. MAGNIS. AUCTIBUS. INTEREUNT

1 Mela lib. 3. cap. 3. Plin. l. 4. cap. 14. Tacit. l. 1. & 2. Annal. aliique.

# DELBRUGGIA,

*Ultima veterum Bructerorum ſedes.*

## MEMORIÆ SACRUM

BRUCTERUS.HÆC.[1] COLUIT.LOCA.FOETA.PALUSTRIBUS.UNDIS
QUOD. NUNC. INDIGENIS. NOMEN. UT. ANTE. MANET
HIC. VARUM. INFESTO. GERMANICUS. AGMINE. CÆSAR
[2] ULTUS. ET. HOSTILES. DEPOPULATUS. OPES
VICINAM. DRUSO. GENITORI. CONDIDIT. [3] ARAM
ET. TULIT. AUSONIIS. MANIBUS. INFERIAS
POST. [4] UBIUS. FERRO. PARITER. GRASSATUS. ET. IGNI
OBRUTUS. HIC. MAGNA. CLADE. REPENTE. FUIT
VICTAQUE. TERGA. FUGÆ. DEDIT. ET. SUA. SIGNA. RELIQUIT
INCLYTA. VIRTUTIS. BRUCTERE. SIGNA. TUÆ.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

DELBRUGGIIS. VETERUM. BRUCTERORUM. ULTIMIS. QUOS GERMANICUS. CÆSAR. VARIANÆ. CLADIS. ULTOR. BELLO PERSECUTUS. QUANTUM. AMISIAM. ET. LUPPIAM. AMNES INTER. HAUD. PROCUL. TEUTOBURGIENSI. SALTU. VASTAVIT. COLONIENSES. VERO. CLIVIIQUE. PADERBORNENSIBUS INFESTI. ACCEPTA. INSIGNI. CLADE. AN. MCCCCX. XV. CAL. DECEMB. ILLUSTRARUNT. OB. FORTITUDINEM. EORUM. AC FIDEM. REIP. PRÆSTITAM

M. H. P

1 Cluverius l. 3. antiq. Germ. c. 13. Joan. Horrion Panegyr. Paderb. l. 2. c. 11.
2 Tacit. Annal. lib. 1. cap. 60. 61. 62.
3 Tacit. Annal. lib. 2. cap. 7.
4 Gobelinus Perſona in Coſmodromio, ætat. 6. cap. 91.

# V I S U R G I S.

## MEMORIÆ. SACRUM

EXERAT. AMISIUS. STERILES. CAPUT. INTER. ARENAS
ET. PADERÆ. SOCIAS. LUPPIA. JACTET. AQUAS
SOLUS. EGO. PATRIAS. CLARISSIMUS. AMNIS. AD. ORAS
NAVIBUS. EXTERNAS. PORTO. VISURGIS. OPES
NEC. ME. BELLA. MINUS. CELEBRANT. ADVERSA. [1] QUIRITUM
QUAM. QUÆ. PER. [2] FRANCOS. GESTA. FUERE. DUCES
SED. QUOTA. PARS. RERUM. SUPERARET. ROMA. TUARUM
AUT. QUISNAM. ARMINII. NOSCERET. ARMA. MEI
NI. MIHI. QUAM. [3] TACITUS. SCRIPTOR. DEDIT. INCLYTUS. ILLI
REDDITA. CORBEIÆ. MUNERE. VITA. FORET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ
SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS
COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO
DE. FURSTENBERG

IN. RIPA. VISURGIS. ROMANORUM. FRANCORUM. ET. SAXONUM. BELLIS. NOBILISSIMI. AMNIS. DIOECESIN. PADERBORNENSEM. INTERFLUENTIS. E. REGIONE. HERISTALLI. SAXONICI

M. H. P

1 Velleius Paterculus. Tacitus. Dio Cassius.

2 An. 555. per Clotharium Regem Francorum. Gesta Francorum epitomata, cap. 27. Gregor. Turonensis lib. 4. cap. 10. Aimonius lib. 2. cap. 27. An. 630. per Dagobertum & Clotharium ejus patrem, Reges Francorum. Gesta Francorum epitomat. cap. 41. Aimon. l. 4. cap. 18. Sigebertus in Chronico. An. 721. per Carolum Martellum. Ado Viennensis. annal. incerti auctoris apud Pithæum.

3 *Nam quinque ejus primores Annalium libri inventi Corbeiæ, quod Monasterium ad Visurgim est, atque illinc depromptum verè hunc thesaurum Quæstor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.* Justus Lipsius ad lib. 2. Annal. Taciti. num. 23.

# R E M A

## AD CONFLUENTES WARNÆ & VISURGIS

*Pagus Ravensbergici Comitatus.*

## MEMORIÆ SACRUM

INCLYTA. FRANCORUM. FASTIS. UBI. [1] WARNA. VISURGIS
AMNE. RECEPTA. SUÆ. NOMINA. PERDIT. AQUÆ
SAXONE. [2] PIPINUM. FUSO. SPECTAVIT. OVANTEM
[3] REMA. TRIUMPHALI. FERRE. TROPÆA. MANU
[4] HILDIGARIQUE. NECI. VICTRICIA. CASTRA. SECUTI
FRANCIGENAS. MOESTIS. ILLACRYMARE. MODIS
FORTIS. ET. EXEMPLO. [5] CAROLUM. [6] GENITORIS. [7] AVIQUE
SAXONICÆ. VALIDAS. FRANGERE. GENTIS. OPES
TALIBUS. ILLUSTRIS. TITULIS. PLUS. REMA. SUPERBIT
QUAM. QUOD. RHEMORUM. [8] NOBILE. NOMEN. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

REMÆ. AD. CONFLUENTES. WARNÆ. ET. VISURGIS. SITÆ PIPINI. EJUSQUE. FILII. CAROLI. M. FRANCORUM. REGUM SAXONICIS. EXPEDITIONIBUS. AN. DCCLIII. ET. AN. DCCLXXXIII
CELEBRIS. PAGI. MEMORIÆ

M. H. P

1 WARNA. Poët. Anonym. WAHARNA. Vita Caroli M. apud Pithæum. Adelmus. WAGARNA. Annal. Franc. apud Reuberum. WAAHNA. Regino. nunc WERNE vocatur.

2 An. 753. Annal. incerti auctoris apud Pithæum, aliique.

3 REMEN nunc appellatur. olim RIMIA. Vit. Caroli M. apud Pithæum. Regino. RIMI. Adelmus & Annal. Franc. apud Reuberum. RHIME. Ado Viennens.

4 Coloniensis Archiep. Annal. incerti auctoris apud Pithæum. Annal. Fuldenses, Adelmus, Regino.

5 Annal. Francici apud Reuberum. Vita Caroli M. apud Pithæum.

6 Pipini. An. 745. 753. 758. Annal. incert. auct. apud Pithæum. Annal. Fuldens. apud Freherum. Annales Francici apud Reuberum.

7 Caroli Martelli. An. 721. 727. 740. Annal. incert. auctoris apud Pithæum.

8 Henricus de Hervordia. l. 2. cap. 69. citatus ab Henrico Meibomio in notis ad Irminsulam Saxonicam.

# ERESBURGUM AD DIMOLAM.

## MEMORIÆ. SACRUM

HOSPES. [1] ERESBURGI. PRÆRUPTAM. CONSPICIS. URBEM
ANTIQUA. CELEBREM. RELLIGIONE. LOCUM
[2] MARTIS. IBI. QUONDAM. SIMULACRO. NOBILE. FANUM
SAXONIÆ. COLUMEN. PRÆSIDIUMQUE. FUIT
QUOD. LEO. VASTATUM. CAROLI. VICTRICIBUS. ARMIS
[3] SACRAVIT. VERO. RESTITUITQUE. DEO
MANSIT. ET. HOC. NOSTRÆ. GENTI. DUM. BARBARUS. HOSTIS
AUGUSTUM. [4] NOSTRO. TEMPORE. VERTIT. OPUS
NONNE. GIGANTEOS. MERUIT. RENOVARE. TRIUMPHOS
QUÆ. MANUS. IN. SUPEROS. HOC. FUIT. AUSA. NEFAS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG.

ERESBURGI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI. FIRMISSIMI OLIM. SAXONUM. PROPUGNACULI. NEC. MAGIS. FRANCORUM. ARMIS. ET. IRMINSULÆ. EXCIDIO. QUAM. EJUS. LOCO A. CAROLO. M. EXSTRUCTI. A. LEONE. III. P. M. DEDICATI BELLO. AUTEM. SUECICO. FUNDITUS. EVERSI. TEMPLI. RELIGIONE. CELEBRIS. MEMORIÆ.

M. H. P

1 Astron. apud Reuberum, Annal. Francici & vita Caroli M. apud Pithæum, aliique Franc. hist. scriptores. Henricus Meibomius de Irminsula Saxonica, hodie STADT BERG.
2 Widekindus Corbeiensis lib. 1.
3 Baronius. annal. Ecclesiast. tom. 9. ad annum Christi. 799.
4 An. 1646. 24. Septemb.

# BRUNISBERGA PROPE HUXARIAM.

## MEMORIÆ SACRUM.

ARX. UBI. BRUNONIS. CIRCUMSPICIT. ALTA. LATINI
MILITIS. INFECTAS. [1] CÆDE. VISURGIS. AQUAS
SAXONES. HIC. AMNEM. [2] CAROLUM. TRANSIRE. PARANTEM
NEQUICQUAM. TELIS. IMPEDIERE. SUIS
SED. DARE. VERSA. FUGA. VICTORI. TERGA. COACTI
CESSERUNT. TOTUM. FLUMINIS. IMPERIUM
LITORE. NUNC. ILLO. REGNAS. CORBEIA. SACRUMQUE
[3] HUXARIÆ. DICIT. JUS. PADIBORNA. TUÆ.
QUÆ. SI. POSTERITAS. SERVASSET. FOEDERA. NUNQUAM
RELLIGIO. SCISSIS. PLANGERET. ORBA. COMIS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

BRUNISBERGÆ. NOBILI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI. ET DITIONE. CORBEIENSI. LOCO. UBI. CAROLUM. M. TRAJECTU. VISURGIS. PROHIBERE. FRUSTRA. CONATI. SAXONES AN. DCC. LXXV. FUSI. FUGATIQUE. FRANCIS. CESSERUNT.
M. H. P.

1 Velleius Patercul. lib. 2. hist. *amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis.*
2 Astron. Adelmus. Annal. Fuldenses. Regino. Poëta anonymus apud Reinerum Reineccium.
3 Libellus de translatione S. Viti, & institutione novæ Corbeiæ. & Chron. Corbeiense post notas ad Widikindum à Meibomio editum.

# BOCA AD LUPPIAM.

## MEMORIÆ. SACRUM

BOCA. VETUS. CAROLO. MEMORABILIS. HOSPITE. PAGUS
LUPPIA. QUAM. RAPIDIS. PRÆTERIT. AMNIS. AQUIS
[1] ANGARIOS. VIDIT. PACEM. VENIAMQUE. PRECANTES
SUPPLICITER. FRANCO. SUBDERE. COLLA. JUGO
OBSIDIBUSQUE. DATIS. JURANDO. JURE. PACISCI
OBSEQUII. STABILEM. TEMPUS. IN. OMNE. FIDEM
ANGARIÆ. GENS. VICTA. SACRO. LÆTARE. TRIUMPHO
QUEM. CAROLUS. DE. TE. RELLIGIOQUE. TULIT
[2] SI. SUB. REGE. PIO. LIBERTAS. GRATIOR. EXSTAT
SERVITIO. MAGIS. ES. LIBERA. FACTA. TUO

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

BOCÆ. CELEBRI. OLIM. PAGO. UBI. CAROLUS. M. FRANCORUM. REX. ANGARIOS. DATIS. OBSIDIBUS. ET. JUREJURANDO. FIDEM. OBSEQUII. FIRMANTES. AN. DCC. LXXV. IN. DITIONEM. ACCEPIT. ET. A. SANCTÆ. MEMORIÆ. BADURADO PADERBORNENSI. EPISCOPO. RELIQUIÆ. B. LANDOLINI. CONF. QUAS. E. CAMERACENSI. DIOECESI. ILLUC. TRANSTULERAT COLLOCATÆ. FUERUNT

M. H. P

1 Vita Caroli M. apud Pithæum. Astron. Adelmus. Regino. aliique hist. Franc. scriptores.
2 Claudianus in 2. consul. Stiliconis lib. 2.

# DESENBERGA
## PROPE WARBURGUM.
## MEMORIÆ. SACRUM

DESENBERGA. GRAVES. QUÆ. FINIBUS. ARDUA. CATTOS
LÆTAQUE. WARBURGI. DESPICIT. ARVA. JUGO
PARUIT. IMPERIO. [1] CAROLI. CUM. FRANCUS. ADEGIT
SAXONA. DEGENERI. VERTERE. TERGA. FUGA
VICTA. DEHINC. CESSIT. [2] SUEVIS. HOSTILITER. ARMIS
HENRICUS. PATRIAS. CUM. LACERARET. OPES
NUNC. JACET. INDIGNA. LATE. COLLAPSA. RUINA
ARX. VETUS. ET. RERUM. GLORIA. SOLA. MANET
QUIS. NISI. MENTIS. INOPS. FACTIS. EXTENDERE. FAMAM
NEGLIGAT. IPSA. VIDET. SI. QUOQUE. SAXA. MORI

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

DESENBERGAM. ARCEM. IN. MONTE. COGNOMINE. OLIM MUNITISSIMAM. QUAM. CAROLUS. M. PRÆSIDIO. FRANCORUM. FIRMAVIT. SAXONES. AN. DCC. LXXVI. FRUSTRA. OPPUGNARUNT. HENRICUS. IV. CÆSAR. AN. M. LXX. OCCUPAVIT HODIE. VERO. EPISCOPI. ET. PRINCIPIS. PADERBORNENSIS BENEFICIO. NOBILIS. SPIGELIORUM. FAMILIA. POSSIDET POSITO. HOC. MONUMENTO. EXORNAVIT

1 Regino. lib. 2. Chron. Fabricius lib. 2. origin. Saxonicarum.
2 Lambertus Schaffnaburg. Ægidius Gelenius in pretiosâ hierotheca: p. 120

# PADERÆ FONTES.

## MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. FONS. PADERÆ. MEDIA. SURGENTIS. IN. URBE
DUCO. VETUS. MAGNI. NOMEN. [1] AB. AMNE. PADI
MARTE. DIU. ANCIPITI. CAROLUS. CERTARE. COACTUS
[2] DELEGIT. CASTRIS. CONCILIISQUE. LOCUM
[3] JUSSIT. ET. HIS. UNDIS. LUSTRATAM. SUBDERE. GENTEM
SAXONICAM. VERO. COLLA. SUPERBA. DEO
[4] HIC. LEO. ROMANA. DEDUCTUS. AB. URBE. SACELLUM
[5] SACRAVIT. PRIMUM. RELLIGIONIS. OPUS
HIC. SEDES. LONGO. FUIT. ORDINE. DEINDE. SECUTIS
TERRARUM. DOMINIS. INCLYTA. [6] CÆSARIBUS
[7] VIRGINIS. HIC. CONJUX. VIRGO. CUNIGUNDA. MARITI
ACCEPIT. MERITIS. REGIA. SERTA. COMIS
VASTUM. ALIUS. SUBEAT. SEPTENA. PER. OSTIA. PONTUM
NOBILIUS. NULLUS. ME. CAPUT. AMNIS. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. PADERÆ. CASTRIS. COMITIIS. ET. FREQUENTI IMPERATORUM. REGUMQUE. GERMANIÆ. ET. FRANCIÆ. HOSPITIO. AC. REGIA. S. CUNIGUNDÆ. CORONATIONE. CELEBRATOS
M. H. P

1 Gobelinus Perſona in coſmodromio. ætat. 6. cap. 38.

2 An. 777. 783. 785. 786. 799. Eginardus in Vit. Caroli. M. Aſtron. Vit. Ludovici Pii apud Pithæum. aliique.

3 Vit. Caroli M. apud Pithæum. Annal. Fuldenſes apud Freherum.

4 Annal. Fuldenſ. Vita Caroli M. Aſtron. Regino. aliique.

5 Vit. S. Liborii apud Bollandum cap. 11. Vit. B. Meinwerci apud Browerum. Gob. Perſona in Coſmod. ætat. 6. cap. 38.

6 Magnum eorum catalogum vid. in notis monumentorum Paderbornenſium.

7 Adelboldus de rebus geſtis S. Henrici apud Gretſerum. Vitæ. S. Godehardi, S. Bernwardi, B. Meinwerci apud Browerum.

# DRIBURGUM

## Olim Iburgum appellatum.

MEMORIÆ. SACRUM

SEU. ME. DRIBURGUM. VETERI. SEU. NOMINE. DICAS·
[1] IBURGUM. MERITIS. LAUS. MANET. ÆQUA. MEIS
SAXONIS. [2] UT. PERHIBENT. MUNIMEN. GRANDE. VETUSTAS
IMPOSUIT. NOSTRIS. MOENIA. CELSA. JUGIS
PRÆSENTIS. CAROLUS. PRECIBUS. DONATA. LEONIS
[3] QUÆ. PADERÆ. SACRO. SUBDIDIT. IMPERIO
VENA. ACIDÆ. TANTUM. ME. NUNC. UBERRIMA. LYMPHÆ
NOBILITAT. VARIIS. SÆPE. MEDENDO. MALIS
SI. MIHI. LONGA. DIES. PRIMOS. SUBDUXIT. HONORES
SERVAT. ADHUC. NOSTRUM. QUÆ. FUGIT. UNDA. DECUS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

DRIBURGI. OLIM. IBURGI. ANTIQUI. SAXONUM. MUNIMENTI. A. CAROLO. M. EXPUGNATI. S. HATHUMARO. EPISCOPO PADERBORNENSI. EJUSQUE. SUCCESSORIBUS. CUM. OMNI AGRO. ET. DITIONE. LEONIS. III. P. M. PRÆSENTIS. ROGATU DONATI. ET. SALUBRITATE. ACIDULÆ. HODIE. NOBILIS. MEMORIÆ.

M. H. P

1 Gob. Perſona coſmod. ætat. 6. cap. 38. Crantzius lib. 1. Metrop. cap. 51.
2 Hermannus Hamelmannus de antiq. Weſtphalia ex Peucero.
3 An. 799. Gob. Perſ. coſmod. l. c. Crantzius l. c. Bruſchius & Kerſenbrochius in catalog. Epiſ. Paderb.

# LUDA AD AMBRAM.

## MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. LUDA. VETUS. JUCUNDÆ. MARGINE. RIPÆ
URBS. SEDET. ET. CULTOS. [1] AMBRA. PERERRAT. AGROS
[2] AMBRONES. HABITASSE. FERUNT. QUOS. CIMBRICUS. OLIM
MILITIÆ. SOCIOS. TRAXIT. IN. ARMA. FUROR
ILLIS. [3] ARMINII. SUCCEDENS. ARCE. PROPINQUA
GENS. TENUIT. VALIDA. SCEPTRA. CHERUSCA. MANU
[4] ANNUA.DEINDE.PIO. CAROLUS.SACRA. MORE. FREQUENTANS
NASCENTEM. COLUIT. SUPPLICE. VOCE. DEUM
ET. [5] SCHIDROBURGUM. PROPIUS. DUM. SAXONA. BELLO
FULMINAT. HOC POSUIT. FRANCICA. CASTRA. LOCO.
HÆC. OLIM. DECORI. FUERINT. NUNC. PROXIMA. LUDAM
CONCELEBRAT. NOTÆ. VENA. SALUBRIS. AQUÆ.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

LUDÆ. AD. AMBRAM. PERANTIQUÆ. AMBRONUM. ET. CHERUSCORUM. SEDI. CAROLI. M. CASTRIS. IN. QUIBUS. AN. DCCLXXXIV. CHRISTI. NATALEM. EGIT. ET. PYRMONTANÆ ACIDULÆ. VICINITATE. CELEBRATÆ

M. H. P

1 Aſtron. Adelmus Vita Caroli M. apud Pithæum. Regino. Poëta anonymus aliique. nunc EMMER vocatur.

2 Reinerus Reineccius de origine Myſorum. Piderit. in Chron. Lippienſi part. 1. cap. 6.

3 Winkelmannus in notit. vet. Weſtphaliæ. lib. 1. cap. 8.

4 Vit. Caroli M. apud Pithæum. Regino.

5 Adelmus. Aſtronomus. Poëta anonymus. nunc SCHIDER, ſeu brevius SCHIER appellatur, prædium Comitum Lippienſium.

# TROPÆA CAROLI M. FRANCORUM REGIS,

## In campo Sintfeld.

## MEMORIÆ SACRUM

NUNC. UBI. FERTILIBUS. LATE. FLAVESCIT. ARISTIS
TAM. CERERI. GRATUS. QUAM. SPATIOSUS. AGER
OLIM. CAMPUS. ERAT. QUO. PRÆLIA. [1] SAXO. MINATUS
FRANCORUM. SIGNIS. OBVIA. SIGNA. TULIT
SED. VICTUS. CESSIT. TITULO. VICTORIA. DONAT
[2] MOENIA. VICINO. CONSPICIENDA. JUGO
SI. MARATHON. [3] PERSIS. NOMEN. FATALE. PEREMPTIS
MILTIADÆ. JACTAT. CLARA. TROPÆA. DUCIS
GLORIA. MAJOR. ERIT. CAROLI. QUI. PARCERE. VICTIS
MALUIT. HOSTILI. QUAM. JUGULARE. MANU

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

CAROLO. M. FRANCORUM. REGI. SAXONIBUS. IN. CAMPO SINTFELT. AN. DCC. XCIV. SUBACTIS. ET. TERTIA. EORUM PARTE. ALIO. TRADUCTA. DE. RELIGIONE. CHRISTIANA. ET PUBLICA. TRANQUILLITATE. OPTIME. MERITO

M. H. P.

1 Aftron. Adelmus. Annal. Fuldenf. Annal. incerti auctoris apud Pithæum. Regino. Poëta anonymus. aliique.
2 WUNNENBERG oppidum diœcefis Paderbornenfis, ad agrum SINTFELD pertinens, & in colle fitum.
3 Cornelius Nepos in Miltiade. Juftinus l. 2. c. 9.

# HERISTALLIUM SAXONICUM, in ripa Visurgis.

## MEMORIÆ SACRUM

SEU. TE. CÆRULEUS. PLACIDO. VEHIT. AMNE. VISURGIS
SIVE. FACIS. TERRA. CARE. VIATOR. ITER
PARVA. MORA. EST. FAMÆ. RELEGAS. MONUMENTA. VETUSTÆ
ET. PRECOR. HÆC. PAUCIS. CARMINA. SCRIPTA. NOTIS
MAGNUS. [1] HERISTALLO. CAROLUS. DUM. SAXONAS. URGET
HIC. POSITIS. CASTRIS. NOMEN. HABERE. DEDIT
[2] LEGATOS. HIEMANS. HIC. REGIA. DONA. FERENTES
AUDIIT. ET. [3] NATOS. JUSSIT. ADESSE. SUOS
HIC. COEPTAM. RETULIT. FATO. MELIORE. CATHEDRAM
[4] AD. VITREAS. PADERÆ. LENE. FLUENTIS. AQUAS
NON. TAMEN. OMNIS. HONOS. ABIIT. QUIN. ÆMULA. FRANCO
CERTAT. HERISTALLI. GLORIA. SAXONICI

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG.

HERISTALLI. SUI. IN. RIPA. VISURGIS. CAROLI. M. HIBERNIS PIPINI. ET. LUDOVICI. FILIORUM. EJUS. CONVENTU. HUNNORUM. ET. ASTURIÆ. GALLECIÆQUE. REGUM. LEGATIONIBUS AN. DCCXCVII. CELEBRATI. MEMORIÆ. POSUIT

1 Astron. apud Reuberum. Adelm. Vita Caroli M. apud Pithæum. Poëta anonym. nunc HERSTELL appellatur.
2 Annal. Francici apud Pithæum. Regino.
3 Astron. Vita Caroli M. apud Pithæum. Adelmus. Regino.
4 Henricus de Hervordia. Chron. Mindense à Meibomio editum.

# WEVELSBURGUM,

## Prope Bodecam Monasterium S. Menolphi.

## MEMORIÆ SACRUM

ECCE. WEVELSBURGI. SAXO. FUNDATA. VETUSTO
ARX. QUÆ. TURRITUM. TOLLIT. AD. ASTRA. CAPUT
INDOMITIS. OLIM. PATRIAM. DEFENDIT. [1] AB. HUNNIS
DAMNA. DEDIT. PATRIÆ. NEC. SEMEL. ILLA. SUÆ
QUANDO. FEROX. ARMIS. [2] FRIDERICUS. SÆVIIT. HOSTIS
NON. IMPUNE. TAMEN. QUÆ. TULIT. [3] ARMA. NEPOS
SIC. VARIAS. EXPERTA. VICES. DOMINOSQUE. FREQUENTES
SUBDIDIT. IMPERIO. SE. [4] THEODORE. TUO.
FORTUNATA. NIMIS! SI. QUAS. NON. LÆSERAT. HUNNUS
INTACTAS. SINERET. [5] GOTTHICUS. IGNIS. OPES

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ
SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS
COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO
DE. FURSTENBERG

WEVELSBURGUM. VETUSTISSIMUM. AB. HUNNORUM. GERMANIAM. DEVASTANTIUM. MEMORIA. CASTELLUM. A. FRIDERICO. ARNSBERGÆ. COMITE. INSTAURATUM. ET. MUNITUM. A. COMITIBUS. WALDECENSIBUS. AD. ECCLESIAM. PADERBORNENSEM. TRANSLATUM. A. BURANIS. DYNASTIS TUM. BENEFICII. TUM. PIGNORIS. LOCO. DIU. POSSESSUM. A THEODORO. EPISCOPO. ET. PRINCIPE. PADERBORNENSI. RECUPERATUM. ET. A. FUNDAMENTIS. EXSTRUCTUM. A SUECIS. INCENSUM. A. THEODORO. ADOLPHO. EPISCOPO. ET PRINCIPE. PADERBORNENSI. MAJORI. EX. PARTE. RESTITUTUM. POSITO. HOC. MONUMENTO. EXORNAVIT

1 Gob. Person. cosmodrom. ætat. 6. c. 8. Crantzius Metrop. l. 6. cap. 9.
2 Gob. Person. l. c. Crantzius l. c. Ægidius Gelenius in S. Engelberto lib. 3 cap. 42.
3 Conradus Comes Arensbergensis à Bernardo I. Episc. Paderb. prælio victus occubuit. an 1143. Ægid. Gelenius. l. c. aliique.
4 An. 1589. 9. Aug.
5 An. 1646. mense Maio.

# DESERTUM SENNÆ,

## olim Sinedi appellatum.

## MEMORIÆ SACRUM

DESERTOS. [1] SINEDI. TRACTUS. HUMILESQUE. MYRICAS
QUI. PERAGRAS. TUTUM. CARPE. VIATOR. ITER.
NON. HIC. INSIDIAS. NON. MILITIS. ARMA. TIMEBIS
QUA. SECURA. QUIES. ARCET. ET. ALMA. THEMIS
APTA. QUIDEM. PECORI. DEEST. ET. PASTORIBUS. UMBRA
RARAQUE. POPULEAS. VENTILAT. AURA. COMAS
ATTAMEN. HIC. APIBUS. DULCEM. GREGIBUSQUE. MINISTRAT
UNDA. FREQUENS. POTUM. PABULA. GRATA. SOLUM
ET. CAPUT. AMISII. MEDIIS. HINC. EXIT. ARENIS
ILLINC. UBERIBUS. LUPPIA. SURGIT. AQUIS
NUNC. ETIAM. VIDEN? UT. CELEBRET. LOCA. VASTA. COLONUS
SOLLICITARE. RUDEM. VOMERE. DOCTUS. HUMUM
OMNIA. SIC. VINCIT. LABOR. IMPROBUS. OMNIA. CONTRA
AGRICOLIS. PESSUM. SEGNIBUS. IRE. SOLENT

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

IN. DESERTUM. SENNÆ. OLIM. SINEDI. APPELLATUM. NOVIS COLONIS. CUM. PUBLICO. COMMODO. DEDUCTIS

M. H. F

1 Hujus deserti meminerunt diplomata Caroli M. Osnabrugensibus an. 804. Ottonis III. an. 1061. S. Henrici an. 1002. & an. 1003. Paderbornensibus data. vid. notas ad monumenta Paderbornensia.

# FONS RESONUS,

## Vulgo Bullerborn, prope Becam veterem, pagum diœcesis Paderbornensis.

### MEMORIÆ. SACRUM

TEUTOBURGENSIS. SILVÆ. RADICIBUS. ORTUM
QUÆ. TRAHIT. ET. RESONIS. NOMINA. DEBET. AQUIS
ARTE. SCATENS. [1] MIRA. PELAGI. NUNC. MORE. FREMENTIS
ÆSTUAT. ALTERNA. NUNC. SILET. UNDA. VICE
ET. PEDE. DECURRIT. LIQUIDO. DUM. PROXIMA. SENSIM
PER. CAVA. LABENTEM. SAXA. RESORBET. HUMUS
MOX. EADEM. VIRES. SUBTER. TELLURE. RECENTES
COLLIGIT. ET. LARGAS. AUCTA. REFUNDIT. AQUAS
NE. JACTES. ARETHUSA. TUI. MIRACULA. FONTIS
SOLA. ETIAM. NOSTRAS. FAMA. LOQUETUR. OPES

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ
SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS
COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO
DE. FURSTENBERG

AD. FONTEM. BULLERBORN. PROPE. BECAM. VETEREM. MIRA NATURA. PRÆDITUM. ET. FREQUENTIBUS. PRINCIPUM. ET NOBILIUM. VIRORUM. CONVIVIIS. EXCUBIIS. ET. EXPERIMENTIS. OLIM. CELEBRATUM

M. H. P

1 Vid. Mollerum l. v. de Rheno. pag. 217. Leonardum Thurnesserum l. 1. c. 1. de aquis. Joan. Horrion l. 2. panegyrici Paderb. aliosque.

# FONS PADULUS,

## Ante Neuhusium, consuetum Episcoporum & Principum Paderbornensium domicilium.

MEMORIÆ. SACRUM

FONS EGO. SUM. PADULUS. NITIDIS. ARGENTEUS. UNDIS
PURIOR. ELECTRO. FRIGIDIORQUE. GELU
OLIM. VIX. PECORI. NOTUS: NUNC. ARIDA. FEBRI
NOSTER. FERNANDI. PROLUIT. ORA. LIQUOR
UNDE. MEO. PRINCEPS. RECREATUS. MUNERE. CLAUSAS
MARMORIBUS. GRATO. CARMINE. SIGNAT: AQUAS
NE. MIHI. CASTALIOS. LATICES. OPPONE. NEC. UNDAM
BELLEROPHONTEI. CARE. VIATOR. EQUI
ILLA. ETENIM. DOCTIS. INSPIRAT. VATIBUS. ÆSTUM
HÆC. LEVAT. ET. MEDICAM. LYMPHA. MINISTRAT. OPEM

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AQUA. FONTIS. PADULI. IN. FEBRIS. ARDORIBUS. RECREATUS. P. C. AN. M. DC. LXV

# ACIDULA [1] SMECHTANA.

## MEMORIÆ. SACRUM

NON. EGO. VICINIS. DUBITEM. CONTENDERE. NYMPHIS
TANTA. LICET. NOSTRÆ. COPIA. DESIT. AQUÆ
FRIGIDIOR. GLACIE. CERTE MEA. NECTAR. ACORE
UNDA. REFERT. VITRO. SPLENDIDIORQUE. FLUIT
UTILIS. ET. CALIDO. JECORI. STOMACHOQUE. DOLENTI
ET. PRÆSENS. ÆGRIS. RENIBUS. AUXILIUM
PRINCIPIS. HINC. PATRUI. PRINCEPS. EXEMPLA. SECUTUS
FERNANDUS. PATRIÆ. MAXIMA. CURA. MEÆ
MARMOREO. POTAS. ORNAVIT. MARGINE. LYMPHAS
ADDIDIT. ET. GRATA. CARMINA. DUCTA. MANU
TU. MERITI. CONTRA. MEMOR. ILLIUS. USQUE. LIQUORES
ARENTI. SITIENS. QUI. TRAHIS. ORE. MEOS
POCULA. FERNANDI. FAC. LIBES. PRIMA. SALUTI
INCOLUMIS. PADERÆ. QUAM. DABIT. ILLE. SUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

Ad. memoriam. accepti. beneficii P.C. An. M. DC. LXIX.

NAUSEAT. AUT. SIQUIS. CALET. HINC. BIBAT. ÆGER. OREXIN
NOSTRA. FACIT. STOMACHO. PELLIT. ET. UNDA. SITIM
NECTAR. ACORE. VITRUM. SPLENDORE. ET. FRIGORE. BRUMAM
EXSUPERAT. MEDICÆ. NEC. CARET. ARTIS. OPE

1 Vid. Tabernæmontanum in suo aquarum thesauro. cap. 59. & notas ad monumenta Paderbornensia.

# ACIDULA DRIBURGENSIS. MEMORIÆ. SACRUM

HIC. EGO. VISCERIBUS. MAGNÆ. PRORUMPO. PARENTIS
LARGA. SALUTIFERÆ. VENA. PERENNIS. AQUÆ
DOCTA. GRAVI. MORBO. RENES. ET. FÆCE. LIENEM
ET. TUMIDUM. FLAVA. BILE. LEVARE. JECUR
ET. TORPENS. ACIDO. STIMULANTE. LIQUORE. PALATUM
TÆDIA. VENTRICULO. PELLERE. FAUCE. SITIM
QUI. BIBIT. ERGO. MEOS. LATICES. ET. CIVIS. ET. HOSPES
INCOLUMIS. NOSTRIS. RITE. PRECETUR. AQUIS
MAGNUS. UT. HAS. ARMIS. CAROLUS. VICTRICIBUS. UNDAS
SAXONICO. FERTUR. SUPPOSUISSE. PADO
SIC. FERNANDE. TUO. DECORATÆ. MUNERE. LONGO
TEMPORE. TE. SALVO. SUB. TUA. JURA. FLUANT

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. ACIDULAM. DRIBURGENSEM. SALUBRITATE. MEDENDISQUE. CORPORIBUS. NOBILEM. COMMODIUS. HAURIENDAM EDUCTA. HUMIDO. SOLO. ARBORIBUSQUE. CONSITA. AD. DEAMBULANDUM. VIA. ET. FONTIS. CELEBRITATI. ET. PUBLICÆ. UTILITATI. CONSULUIT
AN. M. DC. LXX.

# OLDENBURGA
## IN MONTE FURSTENBERG,
### Prima Baronum de Furſtenberg in Weſtphalia ad Ruram ſedes.
### MEMORIÆ. SACRUM

FURSTENBERGIACÆ. TITULIS. ARX. INCLYTA. GENTIS
OLDENBURGA. TUUM. QUÆ. MODO. NOMEN. HABET
SIVE. LOCI. DECUS. ANTIQUUM. SEU. NOMINE. PRIMOS
INDICAT. HOC. ALTÆ. NOBILITATIS. AVOS.
HIC. STETIT. HOSTILI. BELLORUM. SÆPE. TUMULTU
[1] DIRUTA. PRINCIPIBUS. SÆPE. [2] REFECTA. SUIS
NUNC. DESERTA. JACET. PRÆCLARÆ. GLORIA. STIRPIS
USQUE. RECENS. LONGA. POSTERITATE. VIGET
SIC. MEA. DOCTRINÆ. PRECOR. ET. VIRTUTIS. AVITÆ
LAUDE. VELUT.[3] GEMINA. STET. TRABE. FULTA. DOMUS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. ILLUSTRANDAM. HOC. ETIAM. IN. LOCO. MAJORUM SUORUM. MEMORIAM. ET. POSTEROS. AVITÆ. VIRTUTIS EXEMPLO. INCITANDOS

M. H. P.

1 An. 1180. à Philippo Archiepiſ. Col. 1254. à Simone Epiſ. Paderb. 1295. ab Eberhardo Com. Marcano. 1309. ab Henrico Archiep. Colonienſi. 1311. ab Engelberto Com. Marcano. 1345. à Godefrido Com. Arnsbergenſi, & Adolpho Com. Marcano. vid. notás ad Monument. Paderborn.

2 An. 1219. à S. Engelberto Archiep. Colonienſi. 1276 à Siffrido Archiep. Col. 1307. ab Henrico Archiep. Col. 1312. ab Henrico Archiep. Col. & Ludovico Haſſo Epiſcopo Monaſterienſi. vid. not. ad Monum. Paderb.

3 Alluditur ad binas Oldenburgicas trabes in aureo ſcuto rubentes, à prima uſque origine Baronibus Furſtenbergiis uſitata inſignia.

# ADOPTIVORUM
## CARMINUM
## LIBER PRIMUS,

QUI ALIORUM POEMATA,

# FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI,

COADJUTORI MONASTERIENSI,

S.R.IMP. PRINCIPI, COMITI

PYRMONTANO,

ET

LIB. BARONI DE FURSTENBERG

INSCRIPTA, COMPLECTITUR.

# ALEXANDER POLLINUS, FLORENTINUS.

DE

# ALEXANDRO VII. PONTIFICE MAXIMO RENUNCIATO,

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM

Sanctitatis suæ

*Cubicularium intimum.*



Ureus illuxit nostris, Fernande, vocatus
Ominibus votisque dies. Jam lumine claro
Contigimus, cæcas cupidâ quod mente per umbras
Vidimus, arcanos ausi prævertere fines
Fatorum, dum quæ præclara & certa relinquit
Signa olim ætheriâ veniens ab origine virtus,
Insequimur, legimusque animæ vestigia magnæ.
Nunc licet in summo regnantem culmine rerum
Suspicere: & triplici nunc majestate verendum
Demisso colimus vultu, genibusque minores
Oscula adoratis properamus figere plantis.
Regnat ALEXANDER. Subitò viden' imbribus actis
Purpureo ut ridet pacatum lumine cælum!
Ut nitidi redeunt post tristia tempora soles,
Et mites Zephyrorum animæ! circùm aspice, tellus

Ut properè varios ſummiſit læta colores!
Quàm dulci aëriæ volucres clangore per auras
Venturo indicunt hilares nova gaudia ſæclo!
Aſpice. compoſitis immotum ut fluctibus æquor
Poſt fœdas nunc primùm hiemes, ventoſque reſedit!
Cerne Urbem effuſam, plauſuque inſueta frementem,
Lætitiæque ſimul jactas ad ſidera voces
Accipe, non falſos populi exultantis honores.
Nam memorant, cælo tandem ut miſeratus ab alto,
Antiquâ humanos Genitor pietate labores,
Regnandum huic dederit magnis virtutibus orbem;
Auxilium feſſis præſenti numine rebus
Qui ferat, & duro Europam ſub faſce gementem,
Bellorumque diu tot tempeſtatibus actam
Qui levet, ac profugæ revocet bonus otia Pacis.
Nec tamen ultrices generoſi pectoris iras
Non coquere, & juſtos animo verſare dolores,
Armaque ſacrilegos meditari & fulmina in hoſtes.
Hujus in adventu jam nunc pallere ſuperbum
Regnatorem Aſiæ trepidum, atque extrema timentem,
Seque peti terrâ & pelago, ferroque viriſque
Immenſas Orientis opes, Solymamque repoſci.
Parte aliâ populos longè trans ardua clauſtra
Italiæ, gelidum ſpectantia regna Booten,
Et Rheni egregias fluviique binominis urbes
Lætitiæ miros imo ſub pectore ſenſus
Concipere, & veterem ſubitò conſurgere flammam.
Hunc illum, auſpiciis nuper cæleſtibus oras
Quem vidêre ſuas venientem, auriſque ſecundis,
Omniaque æternis obeuntem laudibus: illum,
Quem pietate & juſtitiâ, quem ſanguine clarum,
Flexanimo linguæ eloquio, doctiſque beatum

Artibus, & castâ facilem dulcique Camœnâ,
Attonitis inhians oculis, ceu præscia tanti
Suspexit mirata boni Germania: triste
Dissidium, tristesque iras, animosque rebelles
Exarsisse satis: gentem jam tendere amicam
(Chaoniæ ad nidum veluti per inane columbæ)
Ad Tiberim, & magnæ properare ad mœnia Romæ;
Jam sacros orare pedes, veniamque precari,
Et pacem, certamque adeò exorare salutem.
At fremitu majore ferunt, quæ munera terram
Hesperiam, Latiumque, altam Mavortis & urbem
Quæ maneant; propiùs quanta indulgentia cæli
Adspiciat sacros orienti sidere colles.
Hac finxisse tenus vates Saturnia quondam
Regna per Ausoniam, & de fulvo sæcla metallo:
Aurea nunc verè tali sub numine condi
Tempora, jam reduci cum Virgine læta venire
Omnia, detersâ prisci rubigine ferri.
Jam decus antiquum, & solitos constare triumphos
Principe ALEXANDRO Romanis arcibus: & jam
Relligione Patrum, sanctæ & formidine dextræ
Victorem latè gentes ab utroque receptas
Litore, adoratæ imperio subjungere sedis.
Hoc duce præclaras florescere protinus artes,
Et Latiâ tellure novas jam surgere Athenas:
Permessi mutare undas jam Tybride Musas,
Desertoque Helicone, jugum celebrare Quirini.
Hæc bona non dubio monitu mortalibus, addunt,
Ex illo speranda, Heros quo tempore primùm
Attigit exoriens venientis lumina vitæ:
Cùm summo ætherii residens in vertice Olympi
Regius ardenti fulgeret Juppiter auro,

Et vaga compoſito circùm famulantia motu
Inter ſe adſpicerent radiis felicibus aſtra:
Lydia materno cæleſtia pignora tellus
Cùm gremio exciperet, quà ſeſe urbs erigit alto
Clara jugo, fecunda virûm, decorumque creatrix,
Regales fulvâ pueros ſub matre, ſuperbum
Inſigne attollens, nec ſanguinis immemor alti
Cognatam oſtentans notâ ſub imagine Romam:
Cùm domus egregios intra generoſa penates,
( Nomen avis, ataviſque ingens ) longo ordine vivos
Monſtraret puero vultus, & facta ſuorum
Mirari, inque ſacris veſtigia figere ſignis,
Et patrio in teneris laudum conſueſcere amori.
Nec majora ſilent regni argumenta futuri,
Haud obſcura, virum veniens ubi reddidit ætas,
Quæ dedit ille: Dei purâ ſuper omnia plenum
Relligione, metuque animum, niveoſque pudici
Pectoris, invictoſque, ullo ſine vulnere, mores:
Tum largè nitidis hauſtas de fontibus undas
Cæleſtis Sophiæ, Themidiſque, & Palladis artes,
Queis populos regere imperio, quibus aſpera doctus
Flectere corda hominum, poſitis olim effera bellis
Sæcula felici miteſcere pace juberet.
Quid referam, ut lætos auguſtæ frontis honores
Ingeminant, celſoſque animos, mentemque benignam,
Regificaſque manus, facilemque ad præmia dextram?
Quid ſtudium, totque exhauſtos terraque marique
Pro re Romanâ, pro relligione labores?
Tot benefacta viri? quæ tu, Fernande, beatus
Spectaſti primis mirari aſſuetus ab annis;
Et patrias etiam Rheni meditatus ad undas
Tentaſti Arctoas plectro leviore per auras.

Nunc

Nunc quæ mira vides, propiore beatior almæ
Frontis ab aſpectu, pronâ quæque accipis aure,
Quæque feret volvenda dies facta inclyta ſummi
Principis, & nomen latè immortale, decuſque,
Majori celebrare ſono, grandique memento
Carmine, Mæoniiſque modis attollere ad aſtra.
Divino ingenio, & præſenti numine vates
Quæ dabis, æternùm referens mirabitur orbis,
Et ſeri aſſiduè diſcent memorare nepotes.

# EJUSDEM ODE
## AD
# FERDINANDUM
## FURSTENBERGIUM,

*De reditu in Germaniam cogitantem*
*An.* CIↃ. IↃC. LIV.

Cui fauſta læto ſidera lumine
Riſere, molli quem placidæ ſinu
Fovêre naſcentem Camœnæ, &
Ambroſiis aluere ſuccis:
Cui ductus altè ſanguis, & inclytæ
Longo ſequentes ordine imagines,
Chartæque ſignantes parentum
Facta, domûs monumenta magnæ,
Monſtrant avito nobile iter gradu
Virtutis, arces quà datur igneas
Inire, doctrinæque ſuadent
Aërium ſuperare culmen:

Laboriosâ nil opus aleâ
Mutare dulces exilio lares;
Et quærere incertum remotis
Regna procul peregrina terris.
Sed te beati vividus ingenI
Adegit ardor limina linquere
Paterna, præclaros ut exul
Egregius fugeres penates
Primâ in juventâ. Nec fine numine,
Fernande, Divûm, principe in urbium
Resistis, ingentemque lustras
Latè oculis animoque Romam.
Jacere moles nubibus aspicis
Olim propinquas, & decora imperI
Miratus, immani ruinâ, &
Marte doles cecidisse vestro.
Mox de superbo pulvere nomina
Majora cernis, regnaque surgere
Æterna, quæ victrix per orbem
Relligio, pietasque summis
Æquavit astris. Impiger ultimo
De fonte, rivos hîc sapientiæ
Hauris, & ad plenum benignâ
Longa sitis satiatur undâ.
Purum vetusti temporis aureas
Hîc pectus artes combibit, & sacrâ
De fronde jam nectis coronam
Crinibus, Ausonioque vates
Incedis inter carmine nobilis,
Cui plaudit amnis regius assonans,
Collesque septeni resultant,
Quo Latiæ recreantur aures.

Natale

Natale fratres imperiis ſolum
Belliſque fœtum pectore Martio
Colant tuentes, & ſub Arcto
Auſpiciis volitent ſecundis.
Ad pulcra pacis munia te vocat,
Poſcitque cælum mitius: huc tua
Te ſiſtit, & celſos honores
Inſequitur generoſa virtus.
Ut orba dulci conjuge, & unico
Fecunda nato, mœſta tenet parens
Amplexa cedentem, nec udo
Fixa ſinit properare vultu:
Sic Roma cari dum capitis fugam
Rumore triſti nunc timet anxia,
Supplex moratur, ſic amici
Te precibus retinent Quirites.

## EJUSDEM JOCUS AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM.

*De Thynni capite dono miſſo.*

MIſiſti mihi, Ferdinande, munus
Magnum, Juppiter! atque ſumtuoſum:
Sed magnum quod amiculo immerenti
Næ malum dedit, ac repentè vivum, &
Videntem, propè ad incitas redegit.
Nam dum relligio mihi, quod abs te
Tuiſque è manibus venit, minuta

Ferro in frusta secare, nec puto fas
Tam cari capitis perire formam,
Et simul meditor frui beato
Lætus munere, & unctiore cœnâ;
Ære mî fuerunt paranda grandi
Arma, vasaque grandiora, molem
Tantam quæ caperent, focoque & igni
Admotam coquerent, tripus, ahenum,
Lancesque, & patinæ, paropsidesque.
Tum quæ silva lari advoluta! quantus
Incendit modicos rogus penates!
Quanta, heu, diluvies profusi olivi
Ferclum immane super! lucerna tantum
Nostra vix biberit decem per annos.
Proin tu, cùm tibi monstra belluosus
Mittet Oceanus, vagique fluctus
Hæc ad litora verterint tremendum
Balenæ spatium, memento turpe
Destinare aliò caput, docendus
Fortunam, & loculos breves amici
Metiri pede veriore. non hæc
Decent munera pauperem culinam.

## AD EUNDEM,

*Die ejus natali.*

OCtobres salvete Idus, lux sacra: Maronem
Quæ fudisti auras prima sub ætherias.
Tuque adeò mihi lux salve, quæ proxima surgis:
Lux mihi natali sanctior usque meo:

Unde

Unde ſibi reduces apponit & ordinat annos,
Et ſignat niveis tempora læta notis,
Æmula divino condit qui carmina Vati
Fernandus, Muſâ proximus ut geneſi.

# IDEM
# FERDINANDO
## FURSTENBERGIO.

Nobilibus Longæ deprenſo in collibus Albæ,
Crura ſacer mihi cùm lentè percurreret ignis,
Et miſeros artus ſtimulis arthritis acutis
Ureret, ac toto tentarer corpore, demum
Decubui feſſus monitu imperioque medentûm.
Accipe nunc, Fernande, tori quæ commoda noſtri,
Deliciæque, quibus ceſſantem frangere morbum
Sperabam, victorque feros ſuperare dolores,
Moxque frui lætus jucundi gaudia ruris.
Principio apparet lecti modus haud ita magnus:
Tres in fronte pedes, paulò plus tentus in agrum,
Dimidiamque pavimento vix altior ulnam;
Unde ſolum digitis pulſare micantibus imum,
Perque leves auras jactatis ludere talis,
Mite laboranti ſolamen. Culcita duris
Durior impoſita aſſeribus, non illa minutis
Aut plumis infarta, aut vellere pinguis Ibero.
Cyniphiis tondent ſed quale in vallibus hirci,
Horrentéſve apri, Numidæve in montibus urſi,
Tomento oppletur Cilicum de ſtamine ſaccus.
Involvit ſuper hunc animoſis ſoſpes ab Euris,

Et decimo fluctu, fœdisque agitata procellis
Carbasus, assutis obtendens vulnera pannis.
Nauticus horrescit supremo tegmine cento,
Blattarum ac tinearum epulis subductus, & unde
Diripuere dapes magno certamine mures.
Cetera (quod multo mireris non sine risu)
Regifico surgunt luxu, textuque renident
Attalico, & Babylonis acu, Phrygioque labore.
Quattuor ingentes Ephyræo ex ære columnæ,
Aurati fulgent quarum alto culmine coni,
Vela ferunt pretiosa, & nobile conopeum.
Sed neque ferventi citiùs de sanguine febris,
Nec dolor abscedit membris, nec pectore curæ,
Textilibus si in picturis aurum inter & ostrum
Jacteris, quàm si plebeiâ in veste cubaris.
Quod te per nomen jucundum, & fœdera dulcis
Testor amicitiæ, per sanctæ pignora dextræ,
Per mores, geniumque tuum, miseresce jacentis.
Dumque datur placidos in lucem carpere somnos,
Et tibi lauricomo veniunt insomnia Pindo,
Inspirantque quiescenti nova carmina Musæ,
Dulce aliquid mihi Castalio transmitte liquore
Persusum. Forsan vatum Deus, artis & idem
Inventor medicæ, sic me servarit Apollo.

# AUGUSTINUS FAVORITUS
## AD
## FERDINANDUM FURSTENBERGIUM
*In Albano rusticantem.*

EX humeris pendebat ebur, lætusque parabam
Dicere Sarmaticâ confossum cuspide Gotthum,
Ossáque per campos immania, signáque templis
Barbara quæ patriis affigit victor, & ipsum
Ducentem proavos Casimirum in prælia Divos:
Sed digiti torpent, & inertia reddere cantum
Fila negant, nullisque calent præcordia flammis.
Scilicet Aönides mihi quæ dictare solebant
Carmen, Alexandrum, téque ô Fernande, secutæ
Certatim, strepitu insano fumoque relicto
Urbis, Aricinos gaudent habitare recessus.
Lucus ubi sacer Hippolyto, quem rursus in auras
Fabula Pæoniis revocatum credidit herbis.
His tu Telegoni claras monstrantibus arces,
Albanumque lacum lustras, qui sæpe sine ullis
Imbribus exsuperans ripas, aut sanguine multo
Decolor instantes clades & fata monebat
Seu fortis bellator, avoque superbus Achille
Arma recudisset recidiva in Pergama Pyrrhus;
Seu Latio fatale malum perrumperet Alpes
Hannibal, aut magno ruerent examine Galli.
Roma quidem hos olim domuit, verùm ipsa pavet nunc
Anxia, ne magni sibi conscia Principis Alba
Excitet antiquam litem, gentique togatæ
Auferat imperium in populos rediviva Latinos.

Nec

Nec minus Ægeriæ fontem, qui lege feroces
Composuit veterum mores, & corda Quiritum.
Quà steterit sus alba, ubi Troïcus arserit ignis,
Et Scythicæ quæris monumentum immite Dianæ.
Hæc fuerant noscenda tibi, postquam ordine cunctas
Lustraras miserâ pendentes urbe ruinas,
Quas Hunni fecêre, Hunnisque immanior ætas.
Nunc illæ revocant animos, & ponere turpem
Post tot lustra situm incipiunt, tristemque senectam
Exuere, ut quondam serpens, quem frigidus annus
Ventique pluviæque diu tenuêre latebris,
Sole novo redeunte ferox in gramine vivo
Emicat, & positis tollit sese arduus annis.
Nec tantùm hæc oculis, verùm quoque pignora nosti,
Quæ Latia tellure latent inclusa cavernis,
Relliquiæ, & veneranda virûm monumenta piorum.
Effluet illa animo nunquam lux aurea nostro,
Quâ fido hærentem lateri, dextraque prehensum,
( Cui dignatus amicitiæ est me fœdere sancto
Jungere, qui nutu superis mortalia jungit )
Duxisti magnæ subter penetralia Matris.
Quos ibi Christicolæ luctus, quæ funera gentis
Vidimus! heu quot busta virum! qui sanguine leges,
Et Christi sanxêre fidem, cum Numinis acti
Afflatu subiêre rogum, vel fortia læti
Colla sub immiti passim posuêre securi.
Illa pati audaces quæ nec Mezentius author
Extuderat, nec qui furiis agitatus iniquis
Jusserat in Siculo mortem mugire juvenco.
Quæ ne monstra oculis hauriret Tybris, opacâ
Velavisse ferunt nebulâ caput. Ibat in ignes
Certa mori Heroum manus; indignante tyranno,

Quod

Quod paribus flammis una morientis obiret
Læta viri in gremio conjux, & funus acerbum
Natorum ſicco ſpectarent lumine matres.
Multi etiam poſcente fero ſpectacula vulgo,
Pavêre Armenias tigres, aut dente leonum
Conſumpti vitam in mediis fudêre theatris:
Ferales ubi nunc gemitus ſub nocte ſilenti
Sæpe exaudiri fama eſt, ac dira nocentûm
Supplicia, & portenta modis ululantia miris.
Hic merita infandos exercet pœna tyrannos:
Hic Antonini lugent, ſævique Neronis
Maternâ exululant agitati lampade manes.
Nec tamen ætherei ſpectant quod luminis auras,
Miteſcunt ideò pœnæ: nam Tartara ſecum
Lugenteſque trahunt campos. It Cerberus ultor
Latratum ingeminans circùm, Diræque relictis
Titanum fibris, venientûm terga ſequuntur.
Aſt illi magnis permixti Heroibus, inter
Cæleſtes ignes, aurata ſedilia complent,
Reſpiciuntque ſuam felici ſidere Romam.

## EJUSDEM ODE
## AD
## FERDINANDUM, FURSTENBERGIUM NEAPOLIM ITURUM.

ERgò agè felici diſcedas alite, quando
Ire apparas Neapolim:

Dulcis

Dulcis ubi æternùm ſpirat clementia veris,
  Lætumque criſpantes mare
Floribus illudunt variis Zephyritides auræ ;
  Coluntque citrium nemus.
Multa quidem tibi Parthenope miranda ſub ipſo
  Monſtrabit urbis limine :
Eductas cælo moles, atque aurea tecta,
  Et ſigna Phidiacæ manus.
Sed tibi, quo tegitur tumulo, ſit cura videndi,
  Maronis inclytus cinis :
Quem memorant (credi ſi digna eſt fama) furorem
  Afflare ſacrum vatibus :
Quare ibi poſthabito caſtas Helicone ſorores
  Fixiſſe manſuram domum.
Illæ te excipient venientem, ac fronte benignâ
  Sic alloquentes audies.
O noſtris addicte ſacris, generoſa propago,
  Tuæque flos Germaniæ,
Lætus ades, noſtroſque velis luſtrare receſſus,
  Vatum feraces grandium :
Seu Surrentinos amor eſt inviſere colles
  Dulci virentes pampino ;
Seu magis arridet pulcherrima Mergilline,
  Dilecta Syncero domus ;
Seu juga Pauſilypi pelago prætenta ſereno,
  Quà cærulæ Nereïdes
Sæpè leves ducunt choreas Tritona ſequentes
  Curvâ ſonantem buccinâ ;
Seu juvat irati tonitrus audire Veſevi
  Lateque nigrantes globos,
Sparſaque per campos ambuſti viſcera montis
  Candente merſos ſulphure.

Sed

Sed tibi scrutandi veniat ne dira cupido,
  Quæ causa venis abdita,
Pabula inexhaustis tot jam per sæcula flammis
  Tellure ab imâ suggerat.
Te miseri subeat fatum crudele Secundi
  Undante fumo hîc obruti;
Namque Deus, rerumque vices, venturaque fata
  Latere mortales jubet.

# EJUSDEM ELEGIA
## AD
## FERDINANDUM
## FURSTENBERGIUM.

*De nocturno bubonis cantu in Albano secessu.*

QUòd carmen ferale canit sub nocte silenti,
  Tristibus & bubo perstrepit auguriis:
Ne nos sollicitos teneat, Fernande, futuri.
  Hic timor infantes, & leve vulgus agat.
Num quæ nec notis Babylon deprendit in astris,
  Nec potis aspicere est provida mens animi;
Sed sibi seposuit mortalibus invia curis,
  Celat & obscurâ nocte premitque Deus,
Semiruto residens volucrum fœdissima tecto
  Efferet, attonitis fata canens populis?
Quæ sit an hæc nosti, quibus orta parentibus ales?
  Accipe, & in risum verte jocumque metus.
Nympha fuit Stygiis Orphne notissima pratis,
  (Namque suas Nymphas, prataque Avernus habet)

Furva quidem, torvoque inamabilis ore: ſed atrox
Forma decet Stygias, & color ille Deas.
Ergò illi tædâ jungi cupiere jugali
Numina, quæ magni regia Ditis habet:
Elyſii cupiere proci. Sed Numina Ditis
Sprevit, & Elyſios Nympha ſuperba procos.
Sæpe Linus, vatumque pater Muſæus, & Orpheus
Aggreſſi duram flectere voce Deam.
Aggreſſi fruſtrà Linus, & Muſæus, & Orpheus
Molliri blandâ neſcia corda prece.
Quippe ferox Hecatæ virgo ſacraverat annos,
Infernas jaculo figere docta feras.
Fortè Acheron, incauta ſuæ dum margine ripæ
It gravidam multâ cæde gerens pharetram,
Dirarumque ſtriges dirum genus Harpyiarum
Sternit, agens forti ſpicula certa manu,
Nempe Acheron ſecuram animi, & nil tale timentem
Obſervans, cupidis nexibus implicuit.
Amplexu ex illo concepit Nympha, novemque
Menſibus exactis edidit Aſcalaphum.
Jamque annis puer addiderat duo luſtra duobus,
Cùm petiit manes acta dolore Ceres:
Et, Mihi reddite, ait, raptam mihi, Tartara, natam,
Unica quæ matris ſpes, ſoboleſque ſuæ eſt.
Reddite maternis, Erebi pia numina, votis
Quæſitum toto pignus in orbe diu.
Munere terra meo fruges parit. Hæc mihi merces
Redditur, ut ſterilis dicar, & orba parens?
Reddite: tuque redi. Quis te, Proſerpina, caſus,
Vel qui te nobis eripuere doli?
Motus erat Stygius miſerandâ voce tyrannus,
Et Cereris juſtis annuerat precibus.

Fata ſed ad cælum reditus immota negabant,
  Guſtaſſet Stygios ſi Jove nata cibos.
Punica nuper eam carpentem ex arbore poma
  Vidiſſe Aſcalaphum, nec tacuiſſe ferunt.
Interdicta via eſt: ſed teſtem Diva profanum
  Supplicio culpæ dicitur ulta pari.
Ter caput inviſum devovit carmine diro:
  Corpus Avernali ter madefecit aquâ.
Ilicet Aſcalaphus, contractis carmine membris,
  Vertitur in plumas, ſurripiturque ſibi.
In roſtrum nares, digiti ſinuantur in ungues,
  Brachiaque in pennas verſa abiere leves.
Turpe caput multùm, multùm cava lumina creſcunt,
  Vixque poteſt pigrum tollere corpus humo.
Ille hic eſt bubo, quem rerum ignara pavet gens;
  Tu ride mecum, qui ſapis, omen avis;
Weſtphaliæ flos, deliciæ, Fernande, Quiritum,
  Tempora cui lauro non pereunte virent;
Et mecum cape plectra manu, junctiſque canamus
  Carminibus ſilvas, ſilvicolaſque Deos.
Neu Romæ deſiderio moveare relictæ.
  Quidquid habet magni Roma, dat Alba tibi.
Hîc Pollinus, honos Graiæ Latiæque Minervæ,
  Holſteniuſque Indis notus & Heſperiis.
Hîc Bandinellus Tyrrhenæ gloria muſæ,
  Et Phœbi geminâ Naldius arte valens.
Et carus Themidi, ac Muſis Raſponus, & unà
  Vizzanus Sophiâ clarus, & ingenio.
Hîc decus Italiæ, & Romani Sfortia vindex
  Nominis, ac fidus Nerlius, Arne, tuum.
Roſpilioſus & auguſti pars magna Senatus,
  Virtute egregius conſilioque Pater.

Hîc & ALEXANDER præſes, tutelaque rerum,
Cui Deus ingenium par dedit imperio:
Et Patrui divina legens veſtigia magni
Spes, & ſervatæ Flavius Urbis amor;
Pro quo debet ALEXANDRO res publica, quantum
Propter ALEXANDRUM debuit illa Deo.
Ergò ſub hac mecum platano, Fernande, ſolutus
Carmina jam Latiæ dic ſocianda lyræ.
Felix qui curis, & iniquo fœnore liber
Exercet bobus rura paterna ſuis,
Ordine nunc æquo gaudens diſponere vites,
Nunc oleis ſobolem ſubſtituiſſe novam.
Interdum juvat arboribus decerpere poma:
Interdum nemoris fingere falce comam:
Irriguoſque jugo rivos inducere campis,
Cùm pluviam tellus poſcit hiulca Jovem.
Non illum vigiles curæ, non ſomnia turbant,
Peſtis & humani pectoris ambitio.
Nec metuit fraudes, niſi quas caper improbus uvis,
Aut parat è nimbo grando inimica ſatis.
Limina nec Regum trepidanti poplite calcat,
Irati metuens damna ſupercilii.
O mihi ſi rupes has inter vivere detur!
Sorderet rubri gaza coloſque maris.
O ego dum poſſim tam leni veſcier aurâ,
Et liquidos fontes, & nemora alta ſequi!
Siqua mihi à Latiis ſperatur gloria Muſis,
Occidat, & venti nomen inane ferant.
Hæc ubi luſerimus, nos curis reddat & Urbi
(Jam ſatis arvorum eſt) præpete currus equo.

BER-

# BERNARDUS ROTTENDORFFIUS

## Medicus Cæſareus & Archiater Monaſterienſis & Paderbornenſis

*Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino*

FERDINANDO FURSTENBERGIO

*Canonico Paderbornenſi, Hildeſienſi & Monaſterienſi gratulatur honorem intimi cubicularii, quo ab* ALEXANDRO VII P. O. M. *fuerat ornatus An.* MDCLV.

VIrtutum illicio, nitore morum,
Gratis obſequiis, ſimulque juncto
Muſarum & Charitum tenace nexu,
Devinxiſſe ſibi, probante Cælo,
Magnatum ſtudia, & ſacros favores;
Si pulcrum decus eſt, honorque grandis:
Hic Te quot titulis honor coronat,
FURSTENBERGI? Heliconii vireti
Germen nobile, Vatum ocelle dexter,
Dulcis Socraticæ medulla Suadæ,
Noſtri maxima pectoris cupido.
Tu primùm innocuæ nitore vitæ,
Virtutis quaſi veſte candidatus;
Tum fido obſequio, pioque cultu,
Cultarumque ſimul novem Sororum
Præclaris ſtudiis, & univerſis
Doctrinæ illecebris amœnioris;
Sic illum FABIUM Tibi obligaſti,
Magnum illum FABIUM Tuum Patronum:

Quem natalibus inclutis, & altâ
Stirpis nobilitate, divitavit
Illustrissima CHISIORUM origo.
Illum inquam Tibi CHISIUM obligasti;
Patronum simul & Tuum meumque,
Ipso qui Charitum sinu educatus,
Doctâ Pieridum manu expolitus,
Per Virtutis iter gradusque ductus
BONÆ MENTIS, ad auream Palæstram:
Ex qua Victor ovans brevi supremæ
Scandit Gloriæ ad eminens cacumen,
Applaudente Polo, vovente Mundo.
O sacrum caput, ô cor entheatum!
Hunc Tu dotibus hisce, FERDINANDE,
Tui dotibus ingenI genIque
Tibi demeritus, tenes favores
Illos eximios, & invidendos;
Queis Te, spesque Tuas fovet beatque,
Magnus CHISIUS, æstimator ille
Dotûm Mentis & Artium peracer.
Magnus CHISIUS! Unus inter omnes
Illustres animas, Poloque natas,
Et Virtutis odore, Gratiisque,
Flos tantò melior, suaviorque,
Tantò nobilior, micantiorque;
Quantùm quæ foliis superba centum,
Pæstano rosa purpurans in horto,
Ardet luteolæ præire calthæ.
Is dum Teutonicas subisset oras,
Summi Pontificis jubente nutu,
Ut Mosæ pariter daretque Rheno
Legatus sacra jura Vaticani;

Quam

Quam gratus fuit ac ſuavis Hoſpes!
Quo paſſim in pretio! repentè tanti
Ut cœpere viri æſtimare dotes!
Ut cœpere pio flagrare amore,
Mox Summi Medioxumique & Imi!
Sic odore ſuo trahebat omnes,
Divino herculè odore! Non qui amicum
Naribus redoleret aut amomum,
Aut fragrantem Opobalſami liquorem:
Sed qui Juſtitiam, integroſque mores,
Et Zelum Pietatis, & perennis
Laudem Sobrietatis, atque caſti
Cordis Lilia ſpiret, eruditâ
Cum Prudentiâ & Æquitate junctâ.
Hujus tam ambroſii entheique odoris,
Vis tam blanda magis magiſque cœpit
Se diffundere in Urbe Mimigroda,
Quando iſtic Procerum, quibus poteſtas
Gentis credita ſumma Chriſtianæ eſt,
Diſcordes animos, ſagace primùm
Suaſu conſilioque molliebat:
Dein litis velut Arbiter ſeverus,
Conſopito odio, improbiſque rixis;
Bonis auſpiciis, bonoque fato,
Sic cunctorum animos ſtudebat arcto
Nexu jungere Amoris atque Pacis;
Ut primis ſtudiis caveret unum hoc,
Ne quid Relligio, Fideſque avita,
A Pace acciperet nocente damnî.
At poſtquam lacrumis petita tantis,
Et tantis toties cupita votis,
Pax tandem fuit icta Mimigrodæ.

Idem dius odor, fragransque CHISI
Cœpit latius usque & usque fundi,
Seque didere Christianum in Orbem.
Ut jam capta sui nitore floris,
Sui Roma flagrans amore CHISI,
Optaret patrio rubere Cælo.
Mox Tybris repetit; statimque cœpit,
Magni Pamphilii inserente dextrâ,
Voto totius adprobante Mundi,
Flos hic more rosæ modoque odoræ,
Purpurascere Vaticano in horto.
Hîc quam dulcè rubet! suavè spirat!
Est ostrum hoc, animi rubor modesti;
Est zeli color hic Deo fragrantis;
Est cœlestis odor, Deumque spirans.
Quo de purpureæ nitore scenæ
Perrexit magis usque & usque & usque
Se diffundere, CHISIANA Virtus;
Donec Pontificis thronum supremi,
Claves sidereas, Petrique sedem
Conspirante sacro Patrum Senatu,
ALEXANDER adit, futurus Orbi
Ter felix Hierarcha Christiano.
Est, cur nunc duplices tuos triumphos,
Est, cur ingemines subinde plausus,
Quaquà Munde pates, Deoque pares:
Et tu præ reliquis, tumultantis
Martis scena, feræque arena Enyûs,
Tot quassata malis, tot icta flagris,
Nunc Germania spes resume grandes,
Et in lætitias refícta vultum,
Plusquam centuplici fer ore plausus,

Ha-

Habes Pontificem, Tuique gnarum,
Mœrorisque tui, tuique amantem:
Habes Pontificem tuis potentem
Volentemque simul malis mederi.
At Tu delicium domus paternæ,
Et Princeps Juvenum eruditiorum,
FURSTENBERGI, amor herclè noster, omnes
Secretas animi occupans latebras:
Tu lætare magis, magisque plaude;
Quando lætitiæ novæ, novique
Te gaudI seges insolens coronat.
En Tuus FABIUS, Tuus Patronus,
Patronus simul & Tuus meusque,
Cinctus tergeminâ caput Tiarâ,
Sic jubente Polo, vovente Mundo,
E Petri Cathedra gubernat Orbem,
Magnus CHISIUS, Unus inter omnes
Flos lectissimus optimusque flores;
Nunc odore suo replevit Urbem,
Nunc odore suo replevit Orbem;
Urbem odore suo beans & Orbem:
Sic odore beans & Urbem & Orbem,
Ut dum suscipit utriusque curas;
Mox sui memor usque FERDINANDI,
Hunc afflare novi favoris aurâ,
Dignum crediderit suis coronis;
Quando sponte suâ, stupente Româ,
Aulæ adlegit in intimæ Ministrum.
O honorificum, bonumque factum!
O factum ter & amplius decorum!
O collatus honor, probante cælo!
Et quod me genius Tuus meusque,

Quod Virtus Tua me, Tuique mores
Præſagire jubent, & ominari,
Præludens honor auctiori honori!
FERDINANDE, Honor hic erat canendus,
Non his Hendecaſyllabis Phaleucis
Duris, illepidis, ſiticuloſis,
Jejunis nimis his meis Phaleucis.
Verùm Pindarici pedis cothurno.
At, ni me mea ſpes, amorque ludunt,
Reddent aſtra diem magis beatum,
Qui pompam & numeros celebriores,
Andinæque tubæ requirat aurum:
Illum dico diem, Tibi ſecundum,
Felicemque Tuis, mihique lætum,
Qui majore Tuas honore Lauros,
Et novi decoris coronet oſtro.
Nam ni me mea ſpes amorque ludunt,
FERDINANDE, animi medulla noſtri,
Nondum ſumma tenes, quibus pararis;
Pulcher reſtat adhuc apex, nec unus;
Quò Virtus Tua Te, vocatque Numen;
Quò flos ingenii vigens, Tuique
Tam belli, nitidi, probique mores;
Quò recti ſtudium, ſagaxque Pallas,
Te certant niveis levare bigis.
Tunc, ſi fata ſinant, truceſque Parcæ;
Non his verſiculis levis monetæ,
Sed celſi pedis inſolente faſtu;
Plaudentûm innumerâ cohorte ſeptus,
Scandendas Tibi Gloriæ quadrigas,
Ornatum veniam, ſequarque plaudens.
Nunc pennâ leviore prævolare,

Hos

Hos jussi celeres meos Phaleucos,
Gratatum Tibi cordis è medulla,
Et faustissima quæque comprecatum.
In queis illepidis & inficetis
Esto nil aliud probare possis;
Sinceros animi fidelis ignes,
Amoremque Tui potes probare.
Tandem figo pedem hîc, & eminentis
Tibi gratulor auctionem honoris.
Jejunis nimis his meis Phaleucis;
Quos inter strepitus frementis Aulæ
Scriptos anterioribus diebus;
Tuis pluribus optimis Phaleucis,
Rotundis nimis & nimis venustis,
Excultis itidem elegantibusque,
Urbano pariter joco facetis
Reddo. Tu illepidos meos Phaleucos,
Tornatos minus & minus dolatos,
Nugaces, miserabilesque versus;
Vultu suscipe, quo soles, sereno.
Ite ergò illepidi mei Phaleuci:
Ite, Ite Hendecasyllabi, quot estis;
Ite ultrà gelidum Alpium cacumen;
Ad Palatia Vaticana adite;
Et quanto studio potestis, illic
FURSTENBERGII honoribus litate:
Ite, applaudite Principi Juventæ;
Ite, applaudite corculo Minervæ,
Suadæ delicio, atque vatum ocello,
Et nostri quoque pectoris medullæ.

EJUS-

# EJUSDEM CARMEN VOTIVUM

*Ad Reverendissimum & Celsissimum Principem* FERDINANDUM *Episcopum Paderbornensem, S.R.I. Principem, Comitem Pyrmontanum & Lib. Baronem de Furstenberg An.* M. DC. LXI.

SUnt aliquid Vates: nec vanis luditur usque
Auguriis hominum cata mens, præsaga futuri.
Nam quâ nunc fulges, PRÆSUL FERNANDE, Tiarâ,
Præsensi dudum capiti haut procul absore; postquam
Es Vaticani factus novus incola montis.
Quem Tibi tum, memini, lætus gratabar honorem.
Nec tamen hoc avium, dextrâ lævâque volatus;
Oscinis aut cantus, dubii pastusque volucrum;
Nec Dodonææ, populorum oracula, quercus;
Nec sacri tripodes; nec qui rimatus arenæ
Delius est numerum, mihi prædixêre: sed ingens
Excelsi Virtus animi, & Doctrina; Tuique
Exsculpti mores è nobiliore metallo,
Augurium fecere mihi, non omine lævo.
Testis Alexander, rerum tutela, potentis
Arbiter OEnotriæ, quo nunc Rectore superbit
Roma caput mundi, vastique vicaria cæli.
Ille Tui postquam genii dulcedine captus;
Virtutesque Tuas tacito dignatus amore est;
Ingentem Tibi mox campum patefecit honoris;
Quo Tua se Virtus Urbique Orbique probaret.

Nec

Nec frustra: Nam clara Tuæ præconia laudis
Fama loquax montes Alpinos detulit ultra:
Teutonicasque replens Urbes, prono agmine aquarum
Fluviorum Rex Danubius, Rhenusque bicornis
Quas lambunt, Mænusque vagans, rapidusque Visurgis;
Fontibus allapsa est Paderæ; quos funere tristi
Turbarat Lachesis: Quando Theodorus Adolphus
Gloria Pastorum; Paderanis qui hactenus agris
Paverat intrepidus commissum Pastor ovile,
Heu! fato immiti ereptus vitalibus auris.
Nam licet æthereis illatus sedibus, almi
Numinis, & Superûm æterno fruiturus amore;
Vivat inexhaustis poturus gaudia rivis:
Attamen & Patriam viduatam Patre, Pedumque
Præsule, & orbatum Pastore reliquit Ovile,
Non sine tabifico luctu, Populique dolore.
Hunc detersuri Proceres, Clerique Senatus;
(Quem penes est plebem desertam cura tuendi;
Atque Diœcesin vacuam Rectore regendi)
Solliciti, cui communem concredere clavum
Imperii possent; Votis concordibus unum
Convenêre locum: sed & illuc appulit ingens
Fama Tui, FERNANDE, ferens & murmure grato
Auribus atque animis Romanæ judicium Urbis
Insinuans de Te, summique oracula Patris;
Queis visi nuper mores, inspectaque coram
Vita fidem postquam asseruit, famamque probavit.
Mox voto unanimi Procerum, Clerique favore,
Ecce salutaris supremus Rector agrorum,
Quos medius lambit colubrino syrmate Padra,
Inque locum extincti, cujus vestigia calcas,
Sufficeris; viduum posthinc recturus ovile;

Cujus

Cujus Pastorem, mœstis heu sydera terris
Ereptum; æthereâ cæli regione locarunt!
Sic igitur non vana meæ præsagia mentis
Comprobat eventus: Tibi decessoris honores
Dum cessere, sacrâ superûm plaudente coronâ;
Et terrâ lætante simul; nec gaudia Româ
Dissimulante sua. Ecquis enim non gaudeat alto
Evectam solio Virtutem? & præmia dudum
Debita jam merito, data non lætetur honorum?
Sed mihi præ reliquis complerunt gaudia pectus;
Gaudia jejunis quæ non velut ante Phaleucis,
Sed sacro heröi testarer carminis ausu,
Falcatasque tuas scandens, Andine, quadrigas,
Papinii aut quatiens spumantia fræna caballi;
FURSTENBERGIACÆ auderem decora incluta gentis
Accessu cumulata novo, vulgare per Orbem.
Sed dolor & luctus contracti ex funere Nati,
Indixêre meis æterna silentia plectris:
Ille redux postquam ex studiis, præclara dedisset
Doctrinæ documenta suæ; canoque Parenti,
Et Patriæ sese medicâ satis arte probasset;
In Latium excurrens Patavinam tendit ad Urbem;
Ut Meditrinæam penetraret Apollinis Arcem.
Hic ubi mox Lauri redimitus termite frontem;
Phœbæos inter cœpit clarescere Mystas.
Cumque salutiferâ morborum examina dextrâ,
Et Paduæ, & Senis, nec non domuisset in Urbe:
Eximia hinc meritus doctæ præconia famæ:
Roma ipsi rigidos morienti nuper ocellos
Clausit, & extincti gelida intulit ossa sepulcro;
Quasque suas potuit, miseras sacravit alumno
Inferias, mœstis ducens suspiria votis.

Ex

Ex illo heu! quantus torsit mea viscera luctus!
Viscera non fando pænè externata dolore!
Et licet adsistant prompto mihi numine Musæ,
Atque senescentes animent in carmina vires,
Tota dolore tamen lacrumabilis obstupuit mens;
Nec secus heu! languet, quam flos succisus aratro,
Radice evulsâ terris. Obducta cicatrix
Vulneris inflicti, non plenè occlusit hiatum;
Illius ab nimio connivent labra dolore!
Hinc amor indomiti vult laxem angoris habenas,
Totus ut in planctus miser ac suspiria solvar,
Interiusque gemam tristissima funera Nati:
Quæ non permittunt, ut versibus otia fallam,
Aut luctum Musis abigam, viresque dolore
Instaurem attritas. Curis minus apta Poësis!
Sed tamen haut modicùm dispelli sentio luctus,
Cum mea delatus Tibi Honos præcordia pulsat;
Ac veluti claro cum Cynthius emicat ore,
Nubila disparent, redit inque suum æthra serenum:
Sic allata Tuæ recreat me gloria famæ.
Propterea in præsens ne totus asymbolus adsim;
Vile Poëmation tenui dispenso Camœnâ;
Lætitiam ut parvo Musarum hoc munere tester,
Quantamcunque Tui mihi movit plausus Honoris:
Quem Tua Virtutum, passim & præconia laudum,
Commerito peperêre Tibi, applaudentibus astris.
O Princeps Proavos factis qui ingentibus æquas;
(Si non eximiis illos Virtutibus anteis!)
Quâ Te quæso lyrâ, quo Te, Mel amabile, plectro,
Quove precor digno jam nunc Te Carmine dicam?
Cui Virtutis honos, & masculus indolis ardor,
Doctrinæque vigor, locuplesque peritia rerum,

Et pernix animi prudentis acumen, & ipſa
Eloquii facies ſtrictâ gravitate ſerena;
Illuſtre & nullo ruiturum nomen ab ævo;
Celſius extollunt ad ſacra palatia cæli.
Dic precor has raras animi quo carmine dotes
Eloquar, aut quonam condigno animabo colore?
Rectius has igitur velis obduco Timantis;
Nube ſub obſcurâ bene cernitur auricomus Sol.
Quid, quod Honor præſens, vitæ index hacterius actæ,
Auguriis animum, & votis majoribus auget;
Meque iterum vatem facit, hæcque oracula pandit;
Nondum hîc ſiſtet Honos: ſed adhuc Tibi meſſis in herba eſt
Uberior laudum, miſſura in ſecula nomen
Sera Tuum; faſtos quod nobilitabit Avorum,
Majorumque novâ ſuperabit imagine ceras
Pluribus inſigni titulis, laudumque trophæis.
Interim ad hoſce libens titulos conſurgo recentes
Lætus, & ex animo præſentes grator honores;
Et ſimul hoc unum ſuperaddo ex pectore votum:
Ut Tibi tergeminæ promptè ancillentur in omni
Obſequio CHARITES, & proſpera cuncta miniſtrent.
IRENE imprimis ſtrictim latus undique ſtipet;
Aurea Pompilii producens ſecula Regis.
Aſtes HYGIA Tibi ſit, ſuppeditans Panaceam,
Quæ potis eſt cunctos de corpore tollere nævos:
Aurea divino fluitans de fonte SOPHIA,
Conſilium regat, & Tua cuncta negotia formet:
Picturato oculos limbo velata pudicos,
Juſtitiæ cultrix ASTRÆA, forenſia tractet.
Quin & AMALTHEE privam rem ſedula curet,
Ac locuplete penu Domini pulcram inſtruat Aulam.

Quod-

Quodque rei caput eſt; demum omnia ΕΡΩΤΙΚΗ adornet;
Actibus interſit cunctis, & cuncta gubernet;
Gemma Megiſtanum hæc, quâ non præſtantior ulla,
De cælo ducens dîæ primordia ſtirpis.
Magnum illud Numen quod ſi mea vota ſecundet,
Non erit, ô Princeps, Te fortunatior alter.
Vive diu Patriæ, FORTUNATISSIME PRINCEPS;
Vive diu, & ſtirpis flore generoſa propago.
Salve Daphneæ decus indelebile lauri;
Et Clariæ conſtans ſalve tutela cohortis;
Cui ſacra aſſurgit Myrtus, cui Delphica Laurus;
Cuique Heliconiades ſua vectigalia ſolvunt.
Vive Tibi atque Tuis, EXOPTATISSIME PRINCEPS;
Et Titulis Virtutem innecte; atque inter honores
Emineat Doctrina Tuis aſſerta Camœnis;
Cunctaque veſani deſpectet murmura vulgi.
Igneus ingenito effulget ſplendore pyropus;
Aſt auro inſertus, majori ſole coruſcat.
Sic generi, generoſus apex, ſi junxerit arma
Doctrinæ, lucis ſibi plus acquirit ab illis.
Vive ergo & ſalve, cunctis CARISSIME PRINCEPS:
Tu Procerum columen; Patriæ Tu ſidus amatum;
Tu Generis generoſus apex, & fulgida ſtella;
Tu Charitum ſoboles; Phœbi Tu dexter ocellus:
Ingenuos Tibi Laurus obit Parnaſſia crines;
Enthea ſublimi reſidet Tibi vertice Daphne:
Doctrinæ meritum, & morum Te ſobria virtus;
Te beneſuadus amor; membrorum & grata venuſtas;
Atque ingens oris ſpecies, & gratia fandi;
Splendidiore ſatu Te illuſtris ſanguis avorum,
Vexit ad auguſtum meritorum culmen honorum.
Jamque vale ſalveque iterum, CELSISSIME PRINCEPS;

Meque Tuos inter (quod si meruisse videmur,
Efflictim precor hoc,) minimos admitte Clientes.
Sic famæ & laudis Tibi major adorea crescat;
Frigore nec gelido, nec quæ marcescat ab æstu;
Ast viridis semper florescat frondis honore:
Sic Tua producant in longum stamina Parcæ;
Sic Tibi semper eant anni è meliore metallo;
Sic BONA MENS nunquam Te deserat, & BONA FAMA.
Claudite nunc pueri rivos, sat prata biberunt.

## IDEM

*In effigiem Reverendissimi & Celsissimi Principis*

## FERDINANDI

*Episcopi ac Principis Paderbornensis Coadjutoris Monasteriensis.*

EN Fernandus hic est, Princeps qui jura benignus
Dat Paderæ, populis & dabit Alpha tuis.
Cui si fata pares tribuent virtutibus annos,
Ceu dedit imperio par Deus ingenium;
Non tamen æquabunt populorum vota precantûm
Ut superet Patrui tempora læta sui.

FRAN-

FRANCISCUS MACEDO LUSITANUS,

DE

# ALEXANDRI VII. P. O. M.

## Effigie, in Academia Romana, ſolemni ritu propoſita ac conſecrata.

A D

FERDINANDUM FURSTENBERGIUM

*Ejuſdem Academiæ electum Principem & Summi Pontificis intimum cubicularium.*

HÆc facies mortalem ultra, & vicina Tonanti,
Cui lux viva oculos circùm ſe fundit, & ardor
Igneus accendit: cui vis arcana vigorem
Sufficit æthereum: gravitas quâ mixta pudore
Certat, & ambiguos in fronte relinquit honores,
Utra virum deceat, Majeſtas publica, virtus
An privata magis? partim reverentia, partim
Quam commendat amor; Romani eſt illa Parentis,
Nomen ALEXANDRI qui reddit, & arma refutat
Pacificus. Viden' ut celſo ſuſpenſa tremiſcunt
Aſtra ſupercilio? viden' ut cæleſtia nutu
Oſtia torquentur! Tanti eſt ea Numinis umbra
Expreſſa in tabulâ; cujus tamen illa gemiſcit
Limite in anguſto. Dolet hoc incluſa teneri
Carcere, par mundo, vel picta affectat imago
Ire ultra Lunæque vias, Soliſque labores,
Et terræ, & cæli ſpatium conſumere. Montes

Magnus Alexander geminos satis esse putavit
Esse sibi statuam vasta ambitione petenti.
Major ALEXANDER: gemini cui non satis orbes
Pro virtute dabunt spatii: si postulet æquum
Ad simulacra locum: solusque huic maximus Atlas
In tabulam, æthereos si latè extenderet axes,
Materiam daret æqualem, dignamque nitore
Virtutum, quas viva oculis exponit imago,
Muta quidem; supplent vivi sed verba colores.
Stat facies index animi, proditque latentes
Divitias: mentis spirat subtilis acumen,
Atque acris vigor ingenii, vis provida, pondus
Judicii; rerumque sequax, priscique facultas
Temporis, humani collecta scientia Juris
Divinique patet: quin lex animata relucet
Fronte suis descripta notis, exemplaque morum
Composito constant vultu: facundia linguæ
Vel muto sedet ore loquax. Stant Palladis artes
Expressæ in facie reliquæ; nec nimia Phœbi
Despicit, & vatum studiis indulget, Hetrusco
Mœcenas melior, qui præmia conscius artis
Distribuat, justosque merentibus addat honores.
Hæ sunt ingenii dotes, quas prodit imago.
Virtutes animi digna quis voce referre
Sufficiat, quas effigies insignis adumbrat?
Indolis hic altæ species: hic nobilis ardor
Promicat. It superas ignis generosus in auras,
Affectatque orbis contempto limite cœlum.
Hoc pietas, hoc prisca fides, hoc insidet ore
Relligio, pudor hic habitat, candorque refulget
Ingenuus: jus fasque notis se promit apertis,
Integra vis, fortisque animi constantia, rebus

Non

Non fracta adverſis, nec rurſum elata ſecundis,
Eminet hic prudens ſolertia, & arbiter uſus
Fortunæ, modus in rebus, ratioque gerendis,
Sobria lex, nec ſola cibis impoſta, ſed ultra
Inſinuans, motuſque animi moderata rebelles;
Omnis in effigie ſpirat virtutis imago.
Quiſquis amat documenta piæ deſcribere vitæ
Diſcat ab hoc vultu: mutus color ille magiſtros
Vocales ſuperat: faciet compendia, cernat
Qui tabulam. Hæc ſpecimen doctrinæ, hæc regula morum eſt.

Hanc tu Palladii Princeps clariſſime ludi,
Aönidum decus, & Germanæ gloria gentis,
Furſtenberge tuis propone ſodalibus, Humor
Quos juvat: hic ſapiens humor, quem nata cerebro
Docta Minerva Jovis ſecum deduxit, & undis
Caſtaliis mixtum Parnaſſi è culmine montis
Volvit agens agmen, Chiſias quo nectare Quercus
Imbuit, & triplicis reſperſit ſidera Montis.
Hanc expone palàm, doctaque in luce videndam
Conſtitue, & cujus propiùs datur ora tueri
Fauſtâ ſorte tibi, procul hanc da cernere: nobis
Eſt ſatis hoc ſpeculum, qui Te virtute minores
Fortunaque ſumus; tabulâ deſcripta legemus
Signa animi, mentiſque notas; ſpirabit imago
Numen Alexandri, ſuperûmque afflabit honores.
Hoc opus, hoc ſtudium documenta expreſſa colore
Diſcere ab effigie, quod ſi non omnia muto
Ore docere queat, Tu Furſtenberge docebis,
Et tua nos aliquid conſpecta juvabit imago.

# FRIDERICI HÖNINGI,

## Arensbergensis, Canonici Præmonstratensis, Propempticon.

## AD

## FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

*Canonicum Paderbornensem & Hildesiensem, Romam proficiscentem, An.* M. DC. LII.

Exue magnanimum curis, generose viator,
Pectus, & ad sanctam tutum proficiscere Romam
Lætus iter; quò mira vocant spectacula rerum,
Seu quæ prisca dedit, seu quæ nova parturit ætas;
Nec minus antiqui species augusta senatûs
Allicit, & magni præsens facundia CHISI,
Qui vel ab Angariæ longinquis finibus unus
Sufficit, ut visisse velis; ubi fama perennat
Illius, & quascunque abiens peragravit Athenas,
CHISIA perpetuos virtus exhalat odores,
Atque tuos urget sua per vestigia gressus.
Ingratâ tardare morâ natalis euntem
Hinc metuit dulcedo soli, lacrymæque Tuorum.
Non illi jam limen habent, non colla fatigant,
Sed tantum faciles optant ad carbasa ventos.
Nam non è patriis mœstus regionibus exul,
Vel peregrinus abis ad inhospita litora Ponti;
Est notum, quà tendis, iter; Roma, altera nobis
Patria, quæ firmis junxit sibi nexibus orbem,

Hu-

Humanumque genus communi nomine Cives
Dixit, & his longè gremium venientibus offert;
Præcipuè si quem Germania mittit alumnum,
Imperii quoniam Romani servat honorem.
Illa domi neglecta bonis Urbs gaudia magnis
Pensabit, nec parva feres solatia fratrum.
Dum sincera pios probitas augebit amicos,
Atque imitatrices cognati sanguinis artes.
Quare nec timidum vano terrore repellant
Et varii casus, & tot discrimina rerum,
Queis Anchisiades terris jactatus & alto
Ausonii tandem superavit litora regni.
Digna per ingentes adverso tramite rupes
Et fluctus est Roma peti; sic itur ad Urbem,
Quâ nihil in terris complectitur altius æther.
Te verò melior sors Ferdinande manebit,
Qui Phrygium pietate ducem sanctissimus Heros
Vincis, & ut nullam meruisti Numinis iram,
Sic armis potiorque fide continget Achates,
Et toto ætherei securos agmine passus
Præcurrent volucres, quorum vectricibus alis
Ire per immensos tractus terræque polique,
Et vasti spatia ampla maris, plus Herculis ultra
Hesperias metas, & jam non ultima Thules
Regna licet, duratque eadem constantia vultus
Impavidi, quamvis irato percitus Euro
Æstuet, & tumidos extollat ad æthera fluctus
Adria, vicinæ celsis aut nubibus Alpes
Involvant dubiâ trepidos vertigine sensus.
Si latus Aligeræ tantùm custodia turmæ
Munit, Achilleo stat quivis tutior ære,
Et videt immoto, vanæ formidinis expers,

 Lu-

Lumine prærupta valles de caute profundas.
Frustra tum vasto laxat rex Æolus antro
Armatas hyemes, frustra mare turbine perflant
Tyrrhenum irati fratres: fragor occidit omnis,
Irritaque in vanos abeunt conamina ventos.
Unde sed hic animus Geniis cœlestibus, unde
Par animo virtus, & qualis causa clientem,
Quis favor astrorum tantam sperare salutem
Nunc jubeat, frustra vatem prohibente Minerva,
Dicere me Charites urgent. Vos, ille remotum
Dum disponit iter, quibus est tutela per omnem
Parnassum, & puro torrentes flumine rivos,
Bellerophonteo mecum præcurrite campo
Cælicolæ, vestrosque bibant mea guttura fontes.
At Tu cui merito, quantum adjutoribus istis
Ingenium, & totis utens industria nervis
Assequitur, nondumque tamen respondet amori,
Aut minimas vario solvit pro munere grates,
Impensum Fernande fero, pars maxima nostri
Et decus eximium studii, concede labori
Vel veniam, dexter mihi vel tuus adsit Apollo,
A quo docta tuæ manant exordia laudis,
Et claram antiquis famam natalibus addunt.
Nam velut illustri Majorum sanguine constat
Integra Nobilitas, raróque exsurgere virtus
Ad sublime solet generosi culmen honoris
Auspiciis evecta suis; ut equestribus hastis
Jura novum prohibent hominem decurrere ludi
Teutonici, nec sacra patent subsellia cœtûs,
Ex quo deligitur sceptroque pedoque verendus
Antistes Princeps; idemque nec omnibus aulæ
Utilis officiis, quamvis sollertia summas

In-

Intendat vires, ſi non reſpondet origo
Ducta per Aſſaracos, & avos, atavoſque, patreſque,
Et proavos, ſimili nupſit queis femina ſtirpe.
Si ſic Phœbeâ naſcuntur origine vates,
Et fruſtra leges, præceptaque docta palæſtræ
Pegaſeæ erudiunt, quem non genuêre Camœnæ,
Entheaque à cunis cui non eſt inſita virtus,
Et mox Aönio caluerunt ſanguine venæ:
Lis tua præcipuos circùm cunabula Montes
Exercet, tanti maneat quem gloria partus.
Vendicat inde ſuum nativo jure Nepotem
Aſſcribitque ſolo mons Furſtenbergius alto;
Mons quem non renuat ſummis ex montibus unum
Roma Palatinos juxta conſiſtere colles,
OLDENBURGIACO (Wedekindum agnoſcit aviti
Stemmatis auctorem) tanquam de ſanguine cretum,
Ut tantæ documenta probant certiſſima ſtirpis,
In rubris eadem ſignata emblemata ſcutis,
Et locus ANTIQUI dictus de nomine CASTRI,
Auguſtoſque lares ingenti limite monſtrans,
Quos Princeps non una manus communibus armis
Quando ruit; ſubitò fato meliore reſurgens
Mons non indecori ſedem de clade notavit;
Et primum in cenſu nomen deſcripſit equeſtri;
Nec Procerum quis ſe, niteat licet ære vetuſto,
Weſtphalaque antiquas oſtendant atria ceras,
Eſſe parem jactat: nam Mons ſubſellia Princeps
Summa tenet; de jure licet certare ſecundo.
Non tot Grajugenas Trojanus ad ardua natos
Inſtar montis equus latebroſâ effudit ab alvo,
Quot quantoſque ſuæ Patriæ fœcunda ſaluti
Ex hoc Nobilitas Heroas monte creavit,

Et nondum fessa auspiciis felicibus edit:
Nescit enim mutare vices, sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos, & pulchrius orta
Posteritate viget semper, prolemque sequuntur
Fata parem stabili servantia lege tenorem.
Non tamen hinc minus in partum sibi juris eundem
Vindicat, & specimen deprendit in indole doctâ
Musa sui generis, quam primo in limine vitæ
Nutrix Cyrrha fovet, collisque biverticis alta
Inter Apollineas pepererunt culmina lauros.
Enthea non alios novit natura Penates,
Et genium cum luce dedit; cognata Poësis
Excepit viridi venerabile pignus in herba,
Lustravitque sacros radiis felicibus ortus
Phœbus, & in media posuit testudine cunas.
Te nascente jugo rupes Heliconia toto
Intremuit, motuque suæ nova gaudia sylvæ
Aönius testatus apex, nec largius unquam
Sacra Caballino manarunt flumina fonte.
Omina quæ ne vana putes, certissima rerum
Argumenta fidem faciunt: tam fervidus ardet
Quisquis enim agnatas Musas, nec segnior artem
Naturæ ingenuam junxit, supraque minores
Multùm instans annos non inficianda Camœnæ
Carmina Pindaricæ ingenii vi præcocis edit;
Nec carum seponit opus, divortia quamvis
Abripiunt studiorum aliò, curisque quietem
Miscere, & lusus fortuna indulget inertes.
Quisquis is, hunc Helicon germanum agnoscit alumnum.
Si decet, ut gentis titulos monstrare vetustos
Mos jubet, ad cunas versusque accedere testes
Pierii generis, quorum indubitabile stemma;

Florida post nati Phœbi cunabula, nulli
Tam læto Ascræi plauserunt murmure cœtus.
Tota tibi ingresso Clarium, Fernande, theatrum
Ardua primorum assurgunt subsellia vatum,
Et certant præbere locum, frontique merenti
Laurea concordi decernunt præmia voto.
Talia ne nostræ temerent encomia laudum
Aönides, juvat illa suis depromere verbis,
Et lassæ interea vires concedere linguæ:
Restat enim pars longa viæ, magnum æquor arandum
Virtutum; vix Musa ratem de litore solvit,
Si spirent tantæ cursuram lætius auræ.
Hinc tua cum Boius legisset carmina Flaccus,
Balde pater vatum, Suadæque medulla disertæ,
Quis novus, exclamat, tenerorum lusor amorum
Angarico, vel Sulmo tuo de fonte resurgit?
Quicquid Callimachi, Galli, dulcisque Tibulli
Manat adhuc, missi sunt pleni hoc nectare versus,
Et nisi jam tiliæ starem radice profundâ
Firmior, ad suaves carum sequar Orphea cantus.
Heinsius inde tui Pelignô à vate secundus
Post elegos visos majori exarsit amore;
Quodque prius non fis, lugens tit, agnitus usu;
Ut meus es primus descriptus pectoris albo,
Sic decuit noster fierent tua carmina partus
Inter adoptivos princeps, Fernande, legendus.
Si quid & Heinsiacæ poterant præstare Camœnæ,
Te Java, te Brasili, Ganges loqueretur & Indus
Dia Sophocleo tua carmina digna cothurno.
Allabi potuit Barthold e optatior aures
An vox ulla tuas? illum qui pectore nunquam
Seponis, sed ubique pio fers ore manuque.

Te poſtquam vidêre novas auctore Camœnas
Voſſius, Ingelius, nec tantum nomen Amandus;
Accumulant plauſus, & candida corda fatentur,
Quod non ingenii decoret laus ſola Batavos,
Et ne præripiat metuunt Germania palmam,
Si quondam plenis ſpes tanta adoleverit annis.
Illo Chiſiades bellantis maximus orbis
Tempore Weſtphalicâ degebat in urbe ſequeſter,
Ut pacem terris & redderet otia Muſis.
Hunc etiam decuit noſtram componere litem;
Jam Furſtenbergæ à claris Majoribus ortæ
Noverat illuſtrem ſtirpem, dignamque putarat,
Chiſiaci cujus legerentur nomine verſus.
Illa tuo ſtimulos ſub pectore gloria fratris
Fixit, ut egreſſus montem, vicinaque cogens
Montibus, auderes primis celebrare vetuſtæ
Carminibus quercus frondoſa cacumina, quali
Inſigni ſublime refert gens Chiſia robur,
Aptum opus heroo plectro, magnique mereri
Chiſiadæ ſtudium, & veteris ſuffragia laudis:
Quod tanquam Princeps ducas bullata juventæ
Agmina Teutonicæ, quà convenit ire per artes,
Et ſe nobilibus præſtare parentibus æquum.
Ergo certa tuæ, tanto ſub judice, vatum
Cui chorus aſſentit, Fernande, propaginis author
Eſt tam Parnaſſis, quam Furſtenbergia mater.
Rectius agnoſcis, ſacriſque amplexibus ambas
Stringis amans, geminaſque, decus mirabile, cunas
Defendis: nec enim res hæc contraria vero.
Aöniis Helicon poſtquam migravit ab oris,
Et montem Muſæ, lauri, fonteſque ſequuti,
Delegêre novos in Principe monte Penates;

Et

Et quos immensum spatium diviserat ante,
In montem arcanis coierunt nexibus unum,
Qui nihil antiquo generis de culmine perdens
Crevit, & imposito contingit vertice cælum.
Illa quidem Aligeris non aversanda Patronis
Ornamenta, piâ quorum linguaque manuque
Unum opus æterni laudes celebrare Tonantis.
At si sancta magis divinæ insignia stirpis,
Virgineique juvat propior cognatio vultus;
Non minus in casto fulgent decora ista cliente:
Nam trabe de geminâ, quâ constat gloria gentis,
Altius in superas virtus enititur auras.
Ipse autem genus & proavos, quæque edidit alter,
Vix se digna putat; sua sed non maxima laudum
Sunt studia, & quicquid claris Heroibus aptum
Discere; Romuleæ laurus Parnassia palmæ,
Et sibi cælestis dat palmam gratia Musæ.
Hæc illum, Aligeri, vestro generique choroque
Inseruit; vestri similis latet integer imo
Pectore, nec dubiis erecti promicat oris
Angelus indiciis, votis concordibus omne
Quicquid amatis amans, vobisque invisa perosus:
Talibus ornari titulis Heroa decebat,
Et propiore gradu virtutum attingere cælum
Debuit, Argolicæ lectissima robora pubis
Sanguine, virgineo Vestam superare pudore,
Quamque fuit juris Nasica tenacior esse,
Quem Procerum Paderæ, quibus est jus sacra tuendi,
Nobile concilium, cælesti munere dignum
Censuit, ut dominâ deponat in urbe LiborI
Præsulis ossa pii, Phryxeo opulentius aurum
Vellere, & antiquo regni durabilis omen

Certius Ancili, Phrygioque potentius angue
Antidoton contra pestis lethale venenum:
Vidit id, & gratâ celebrat Mimigrodia voce,
Quæ quo servavit venerabile tempore corpus,
Libera ab assuetis morbis, intactaque bello
Virgo per Europam peperit celeberrima pacem;
Sed bello gravior pacem jactura secuta est,
Et dolet, amisso spolio seu divite Colchis;
Cum pia depositos artus Padiborna recepit;
Exilit hæc contrà, & palmas ad sidera tollit
Palladio recreata suo, Martisque frementis
Infaustas oblita vices, meliore nitentes
Sperat sole dies, quales sub Principe nuper
Furstenbergiaco fulsisse recogitat annos,
Sæcula primævo fluerent cùm fusa metallo.
Sic tutelaris spondet præsentia Divi,
Et novus optato Theodorus nomine Præsul,
Sollicitus magni cultus augere Patroni,
Atque suis titulis Patriæ conjungere Patrem.
Tu quoque quæ tanto ditabere Roma monili,
Sunt tibi quantumvis plenissima templa beatis
Exuviis, nec habent numeri sacra lipsana finem,
Gaudebis tamen, & vincentem pondera gemmam
Exiguam æterno reverens dignabere cultu,
Cujus opem medicam cùm crebro senserat usu
Purpurei decus eximium Caraffa senatus,
Quique illi meritis par est ostroque Latino
CHISIUS, & populus latè antiquissimus Umbri:
Non alibi illius magis est memorabile nomen,
Non alii cultum Proceres ardentius urgent.
Hic miranda cliens ne nesciat acta Patroni,
Jussit ut Advaticis expressa decentius orbem
Vita

Vita typis vaſtum, Bollando auctore, peragret:
Ille autem æternâ grandem molitus in urbe
Ex Pario ſaxo impenſis regalibus aram,
Ut cineres optat decorent ſacraria veri.
Quos, Fernande, ferens ex donatoribus unus,
Atque tuum faciens donum commune ferendo,
Nón tibi pro tanto deerit par gratia facto,
Collegiſque tuis; & ſanctum quiſquis adorat
Munus; erunt illi digni nova præmia cultus,
Plena relaxatâ noxâ indulgentia pœnæ.
Atque adeò multum ad Divi jungetur honores,
Marmore cui primùm depicto altaria ſurgunt,
Ardua mox ſimili ſub nomine templa ſequentur.
In quibus aſſiduis Panchæi urentur odores
Ignibus, & noctem vincent laquearibus aurêis
Pendentes lychni, vixque atria vaſta tabellis
Sufficient, voti quas compos Roma dicabit.

Sive igitur, ſancti Aligeri, vos pignoris hujus
Tangit honos, cari ſeu provida cura clientis,
Tantos ille rogat non uno jure favores,
Et meruit, quaſcunque ſacer luſtraverit oras
Hoſpes, ut occurrat cuſtodia fida locorum
In varias diviſa acies; pars prævolet una
Oſtendens iter incertum, turma altera tergum
Muniat averſum, numero præſtantius agmen
Cingat utrumque latus; procedentemque ſecundis
Auſpiciis ducat; donec qui præſidet arci
Romuleæ Michaël, det tutam figere ſedem;
Jamque ſatis Latiis imbutum moribus, oris
Incolumem patriis ſimili ſub lege remittat:
Namque is ſidereo pleniſſimus agmine trames.

Cum tumidæ Babylonis erat ſanabile quondam

Vul-

Vulnus, & Eoæ terræ promiſſa nepoti
Venturo veteres habitu tenuêre parentes
Arva peregrino, nondumque immota maneret
Sedes, ſed dubios mutarent vela penates
Per crebras mutata vices, coluiſtis eoſdem,
Accêſtiſque viæ comites; per proxima Bethel
Rura, ubi laxatis patuerunt ſidera valvis,
Scalaque ſubjectam deſcendens attigit imis
Tellurem pedibus, per quam longo ordine viſi
Continuò vacuas placati ad Numinis aures
Ferre preces hominum, moxque illis dona referre:
Hîc vos excepit numeroſi ſeminis auctor
Hoſpitio, & comes in tenebras abeuntibus ivit
Obſcuræ noctis, metuens hîc fratris ob iram
Offenſi ſibi, veſtra, quibus cuſtodia Idumes
Tradita, conſpexit denſo caſtra obvia Jacob
Agmine, & ancipites dimiſit pectore curas.
Improba ſed poſtquam ſanctis genitoribus ætas
Succeſſit, Patrumque ſcelus vicêre nepotes,
Et tot victa malis veſana à gente receſſit
Alma Fides, Pietaſque comes, migraſtis & ipſi
Quæsîſtiſque novas ſedes, ubi temperat orbem
Urbs ſeptemgeminos tollens ad ſidera montes,
Omnibus imperium ſacrum quam gentibus eſſe
Omnipotens genitor jam tum tenditque fovetque,
Exiguis regnum cum finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque à ſede profecta
Diſperſit claro Phœbi cum lumine faſces.
Ut peterent illinc divina orâcla profanis
Legibus aſſueti, emiſit quos Roma colonos,
Aut ſcripſit ſocios, aut victos durius urſit.
Hi dum ſancta Petri tendunt ad limina greſſum,
Non

Non illis summa custos de rupe vocatur
Pan ovium, ductorque viæ Cyllenius ales;
Sed magis æthereos aulæ stellantis alumnos
Per pia vota rogant comites, qui certa dedistis
Signa per Ausoniam stabiles fixisse penates:
Nam non Aligeros inter tam maxime Princeps
Palmifero sparsam, Michael, Samaritida colle,
Aut quæ rura Thabor latè sublimis opacat,
Ardua quàm tibi conspicuus Gargana sacrasti.
Sic tua quantumvis, Gabriel, non vidimus ora,
Est tamen haud obscura fides defendere fines
Præsentem Italiæ, cingit quos Laurea sylva.
Te decet hic locus in toto sanctissimus orbe;
Ad quem sidereas venit delata per alas
Illa domus, non ampla quidem, nec marmore splendens,
Sed quæ de fulvis constructa palatia tignis
Vincit, & immenso poterit contendere cælo,
Si decus exiguis famamque dat incola tectis.
Hic nam Virgo parens intactâ Numen in alvo
Concepit, gessitque pios sine semine partus;
Cum nova Jesseæ tuleras mandata puellæ.
Inde tuæ fidei custodia credita mansit
Si laris, & secreta patent penetralia castis,
Quos procul extremo venientes obvius orbe,
Excipis arcanis adytis, vix purior illo
Advena sidereum meruit contingere limen.
Non te certa tenet statio primoribus unum
De septem Aligeris, Raphaël, sed permeat omne
Indefessus iter cælique solique, nec ullum
Humani genus obsequii subterfugit ardor.
Jam peregrinanti similis peràque decorus
Te baculo instructum comitem poscentibus addis,

Mox cæli convexa petis fulgentibus alis,
Quò propiora vocant ſupremi tecta Tonantis,
Atque amor, & liquidis flagrans alit ignibus aura.
Quare ades, & ſacros greſſus in limine primo
Excipe Fernandum è patria proferre parantem,
Natalique novum columen devinctus Achati
Cinge aliud latus, & renoves miracula priſca.
Nam tantos cæli ſiquis ſperare favores
Auſus adhuc, ſi quem tulerunt hæc ſæcla Tobiam,
Alter hic eſt, primo ſimilis ſic moribus, albi
Excludunt ovis velut ova ſimillima cygni.
Certa Patris ſancti ſoboles, quem noſtra Catoni
Oppoſuit ſimilem vitiis graſſantibus ætas,
Et dedit illuſtre exemplum, rectiſſima claræ
Quem debet ſervare modum Pædia juventæ.
Illi juncta fuit thalamis par omnia conjux
Nobilibus, meritò numeranda Heroidas inter;
Cujus theſauros ſiquis ſpectare cupiſſet,
Oſtenſura foret non gemmas illa, nec auri
Pondera, ſed ſacrâ reduces è gymnade Gracchos;
Qui melior gazas cenſus ſupereminet omnes.
Omnis in Aſcaniis amborum cura parentum
Stabat, ut imbuerent monitis, animoſque timore
Numinis armarent, teneram ne crimine mentem
Fœdarent ullo, ſocios & labe notatos
Effugerent, quoniam fallax latet anguis in herbâ.
Atque utinam meritis longævâ excedere vitâ
Neſtorei metas ævi, mortalia nondum
Mors illis cæcâ clauſiſſet lumina nocte!
Quanta darent documenta viæ, quantiſque ferirent
Æthereos orbes precibus, præberet egenis
Quantam dextra ſtipem duros miſerata labores!

Digna

Digna foret pietas quæ per Te tecta subire
Aulæ sidereæ, solioque adstare Tonantis,
Et cælo Aligerum comitem deducere proli,
Quam velut ad solos nutus & jussa paratam
Surgere, flagranti complectebantur amore.
  Sed licet his placidâ compostum pace quiescat
Corpus, vivit adhuc, & cæli vescitur aurâ
Pars melior, sanctosque polum colit inter ephebos
Spiritus, unde videns manifesto lumine terram,
Fataque natorum curans, præsentibus orat
Haud precibus tantùm ductorem ex æthere mitti;
Sed simul exuviis carnis tardantibus expers
Gaudet celsa piæ comitari ad mœnia Romæ,
Quò non ire jubet rutilantis syngraphus auri,
Vel mortalis Hymen, qualis cum causa Tobiam
Impulit è patrio peregrinum abscedere vultu,
Ille tamen tanti nactus moderamen Achatis,
Qui duras mollire vias, caroque nocentem
Ardorem capiti depellere visus, & imbres
Nubibus urgentes gravidis suspendere, quamvis
Obscurum pluviis cælum maduisset ab Austris.
Qui jussit vasto minitantem gutture piscem
Extrahere, & jecoris fibras servare potentes
Vincere terrificis errantia spectra figuris,
Felque tenebrosis lucem reparare nitentem
Luminibus validum, ac amissos reddere soles:
Rettulit ille idem Gabelo credita gazæ
Pondera fulgentis, nec primâ nocte maritas
Illum permisit tædas mutare cupresso.
Tum ne longa magis lassaret vota parentum,
Incolumem tandem mœstas deduxit ad ædes,
Magnaque sollicitæ portavit gaudia matri.

Ille autem subitò liquidas abscessit in auras;
Et rursum cæli stellantia templa petivit.
Inde tot hunc nostrum vicibus rediturus in orbem
Ire volet quoties referens virtute Tobiam.
Ergo tibi tantum comitem sperare licebit,
Cujus ab illustri cessit procul indole lucri
Fulvi sacra fames, nec toto explebilis Hermo
Argenti sitis, aut luxus, & inanis honoris
Ambitiosus amor; quærunt qui talia; fallax
His meritò insidians natura instraverit æquor,
Quodque parant sit ventorum, nullæque senescant
His puppes, medio nec sit fiducia portu.
At meliora viæ sanctæ sint omina, suasit
Quam pietas, justumque animi ditescere veris
Propositum gazis: non hæc nova causa Latinum
Urget iter, secum junctas virtutibus artes
Ex Capitolino in patriam deducere clivo,
Unde pii quondam intulerant hæc munera Patres
Angariæ: superest nam Saxea nomine prisco
Clarus in Urbe locus; non hoc prærupta dederunt
Saxa, sed à nostris venientes Saxones oris,
Quos frustra sperans sanctæ submittere legi
Par titulo magno Carolus, secreta Tafanæ
Quàm simulacra diu, & nigra formidine lucos,
Cæteraque aspicerent irritamenta vetusti
Erroris, veteres aliò migrare colonos
Jussit, ubi culti vestigia nulla manebant
Mavortis; tum magna pio ductoribus usa
Haud dubie Aligeris pars ivit tramite Romam,
Nec velut externis vixit regionibus hospes,
Nacta scholâ tectisque locum, & civilia jura.
Quam fuit his, patruisque tuis & fratribus æqua,

Tam

Tam via, tam longi facilem se meta laboris
Roma tibi exhibeat, nihil illuc obstet eunti,
Non mare, non tellus, celsoque minantia cælo
Culmina, non tortâ sævi vertigine fluctus;
Quæ vehit, in navem volucrem sit nulla potestas
Imbriferis Austris, placidus sed militet æther,
Et spiret tepidi clementior aura Favoni;
Te metuant avidi, soboles Neptunia, pisces
Et rabidæ terrere feræ, in frondentibus alter
Sis Orpheus sylvis, inter Delphinas Arion.
Non est à Stygiis ea pax speranda procellis;
Hic tuus inprimis quare contrarius hosti
Communi vigilet Mars, ales Magne, ligetque
Semotum procul à terris, connubia turbet
Ne Venus, aut turpi luxu comitata Voluptas.
Hos fugit ingenui non una clade pudoris
Infames scopulos; meliori posthabet illam
Consilio, fecitque fidem servare per omnem
Ætatem casti decus inviolabile floris.
Laus sua conjugio quondam, nec cognitus orbi
Virginitatis honor, cùm deforet incola vasto
Terrarum spatio, & legi mensura vetustæ
Ultima, quam natus casta de Virgine Virgo
Attulit, & studio complendi accensus Olympi
Vesanos thalami decrescere jussit amores.
Inde sibi, melior quorum sententia sedit
Mentibus, è cælo divinas quærere Nymphas
Illustres cœpêre animæ, nec tœduit illas
Desuper in castos animosque manusque venire,
Candida felici genituras nomina partu,
Queis neque dilectam prolem Sipyleïa mater
Præferat, aut duram moveat Latonia litem.

Ex his, quæ formâ pulcherrima, Theiosophiam
Immensis dotatam opibus, nec stirpe minorem,
Connubio junget stabili, propriamque dicabit,
Castaque cælestis paranymphus in oscula mittet,
Omnes ut tecum felices exigat annos.
Fortunaté nimis; non si Lavinia tædas
Clara tuas optet, generum Thetis omnibus undis
Aut emat, æthereos unquam mutabis amores.
Interea simul innumeris rebusque locisque
Sufficiens virtute citâ, dum perdius hæres
Aliger illustris lateri pernoxque clientis,
Si, quibus incolumem votis exposco Patronum
Servari, tua dent vires suffragia, nostris
Quæ precibus desunt, faciles & Numinis aures.
Qualis ut abscedit (votorum hæc summa meorum)
Urbibus Ausoniæ visis populisque revertat
Integer à vitiis, animum virtutibus auctus,
Artibus ingenium, varioque exercitus usu;
Et postquam his studiis processit longius ætas,
Non ultra privata fluat, nec clausa teneri
Mens excelsa domo possit, sed publica quærat
Consiliis Patriæ ipsius requiescere moles:
Perque gradus summi teneat fastigia honoris;
Haud tamen illâ meas extinguant sidera magno
Lumine scintillas, lucis vix nomine dignas,
Qui licet ingenii sim dotibus omnibus impar,
At præstare fidem sinceraque corda paratus.
Sic ubi Teutonicis frondosa cacumina silvis
Explicuêre comas, arbuscula tenuia quercus
Stant inter, cernique in iisdem montibus audent.

EJUS-

# EJUSDEM
# AD EUNDEM
*Elegia.*

FAs generose tuum fuerat, Fernande, clientem
Gaudia Pieriis significare modis,
Qualia Romanam felix adventus in urbem
Cæteraque adventu non leviora ferunt;
Sed sensi tecum Angaricas abiisse Camœnas,
Namque sequi Phœbum debuit ille chorus,
Me verò Alpinis divisa absentia saxis
Sollicito vacuum non sinit esse metu.
Ille meas rigidâ strinxit torpedine venas,
Et fluere è sicco carmina fonte vetat.
Si tua successu simili vestigia vertis,
Quàm cupio hoc spatium temporis esse breve!
Cumque suo Phœbo redeunt, quæ nobile cingunt
Obsequio stabili Numina docta latus.
Tunc aberunt omnes curæ, chartasque Patrono
Carminibus plenas obvia Musa feret.

# EJUSDEM
# VOTA
*Pro incolumitate* FERDINANDI *Episcopi & Principis Paderbornensis Kal. Januarii*
*An.* M. DC. LXVII.

OMnia tempus habent: rectè, Celsissime Princeps,
Tempori agit quisquis convenienter, agit.

Quæ modò Memnonio procedit ab æquore, & annum
Prima novum fauſtis inchoat auſpiciis;
Hæc eſt illa dies, quâ munere, carmine, votis
Te decus ut venerer præſidiumque meum,
Non tantùm officiis lux debita talibus urget,
Non mos in toto qui vetus orbe viget:
Sunt quæ me propiùs tangunt; ſunt, inclyte Princeps,
Cuncta mea ingenti nixa favore tuo.
Sed facilè ignoſces Mæcenas unice, nullo
Tot tua quantumvis munere dona colam.
Munera nulla mihi, non aurum, aurique cupido,
Quam, vitæ & ſtudiis quod ſatis eſt, ſatiat.
Te quoque, quod non eſt dubium felicius eſſe,
Sumere non æquè, quàm dare dona juvat.
Spes minor eſt veniæ, vix excuſabile crimen,
Carmine me nomen non celebrare tuum.
Aut memorem ſaltem meritorum oſtendere mentem,
Digna quibus reddi gratia nulla poteſt.
Carmina jure fero: quia cultu carmine facto
Vix eſt Principibus res magis apta viris,
Qui celſum magnis munus virtutibus ornant,
Et quia digna gerunt carmine, carmen amant.
Vel quos Pieriis, qualis rariſſima phœnix,
Delectat ſtudiis excolere ingenium,
Quâque regunt, quando permittit cura regendi,
Non dedignantur tangere plectra manu.
Non ſolùm ut Princeps carmen, Fernande, mereris,
Non ſolâ illuſtris nobilitate domus;
Non animi ſolis virtutibus, indole, factis,
Queis genus, & ſummos condecoras titulos.
Sunt Mæcenati, ſunt debita carmina vati,
Carminis & vatum carmine dignus amor;

Si mihi majores essent in carmina vires,
Aut non tam parcè potæ Heliconis aquæ,
Non alium quàm te celebrarem; pagina nostris
In libris sine te nulla legenda foret:
Sed premit audentem gravitas & copia rerum,
Nec possum cœpti pondera ferre mei;
Sola igitur quoniam bona verba & vota supersunt,
His sine nulla mihi prætereunda dies;
Incolumi lætus, quô non est carior alter,
Ut ter Alexandro septimus annus eat:
Et redeat toties semper felicior; æquent
Nestoreos donec prospera fata dies.
Tum plenum meritis ætas sine fine beatum
Septima, quæ cœlo transigitur, faciat.
Hæc desiderii, votorum hæc summa meorum,
Metaque, quæ dextris non caret ominibus.
Nam cujus reparas, & splendida condis honori
Templa, Deus vacuas non sinet esse preces.

# GUILIELMUS HESIUS
## E SOCIETATE JESU
## AD
## FERDINANDUM FURSTENBERGIUM

ALEXANDRI VII. *P. O. M. cubicularium intimum, cum ab illo Sanctitatis suæ effigiem nummo expressam accepisset.*

NOmen Alexandri, sanctosque in imagine vultus
Nuncius æternâ missus ab Urbe tulit.

Hoc tulit ille mihi munus, nil tale merenti:
Testor me pavidas tunc habuisse manus.
Hoc munus, Fernande, tuum est; hunc solvis honorem
Vatibus, hæc illos præmia ferre jubes.
Quos inter cum me numeras, ultroque salutas,
Non puto te Musas consuluisse tuas.
Nec tua, quam veneror, me sic deludit amantem
Gratia, ut hoc munus me meruisse putem.
Non mereor. Sed habet mens hoc generosa, favore
Ut quos non dignos invenit, esse velit.
Esse velim certè. Testor violabile nunquam
Pignus amicitiæ quod cupis esse tuæ.
Non ego, Lethæi biberem si fluminis undas,
Excidere hanc credam pectore posse meo.
Scilicet ipse mei memor illa merentis Amici
Deditus obsequiis semper amantis ero.
Quid loquor? Exiguum est quidquid promittere possum,
Promissis quivis dives ut esse queat.
Sed tacuisse nefas; urgent data dona; jubentque
Sanctus ALEXANDRI vultus, & ora loqui.
Quis decor est illis! ut puro fusa metallo
Divinæ speciem simplicitatis habent!
Argenti lucem lux altera vincit, & auget,
Quâ neque Luna suo plena decore micat.
Non ego nunc illam, sit quamquam argentea tota,
Abditus obscurâ nocte videre velim.
Plus lucis, dum nox operit caligine terras,
Nummus, at è vultu quem gerit ipse, dabit.
Heu! nox alta meos premit & longissima Belgas,
Quam belli nubes tetra, minansque facit:
Nec spectare diem datur, aut sperare propinquum:
Noctem hanc solari Cynthia nulla potest.

Ille pii Patris spondet solatia vultus,
Illum oculo gratæ lucis amante sequor.
Quæque darem pedibus, sed numinus non habet illos,
Audeo sacratis oscula ferre genis,
Et, quantum patitur summæ reverentia frontis,
Unum hoc, cum gemitu verba morante, loqui:
O Pater! ô! si quid natorum vota tuorum,
Et tua pro natis cura laborque potest;
Da Pacem: Tua sensa Tibi, tua verba remitto,
Et quæ Tu superis, hæc Tibi vota fero:
Vota movent superos: Et Te tua vota movebunt:
Cum superis eadem Tu quoque regna tenes.
Vota movent, scio, Te: quia magnum est pondus in illis,
Pax Tibi, plus aliis, prô dolor! arma placent.
Arma placent aliis, nobis eadem arma minantur:
Præsidium in tantis Tu potes esse malis.
Utque potes, sic esse voles: complecteris omnes:
Communem Te scis omnibus esse Patrem.
Percipis, & nostros sentis, tua vulnera, casus;
Plusque etiam quàm nos, quod patiaris, habes,
Scimus; & hic animus vultu se prodit in illo,
Quô toties Paci templa dicata subis.
Invideo tibi Roma; tibi namque illa tueri
Ora, decus mundi deliciumque, datur;
Ora, tibi Pacem, Pacisque precantia mores,
Cum pro te supplex vota, precesque facit.
Et frueris voti pretio. Nos sola, tot enses
Inter, adorandæ frontis imago juvat.
Et quantùm tamen illa juvat! Si, qui dedit illam,
Spirantes vultus cernere, & ora daret,
Et pia sacratis daret oscula figere plantis;
Quale animo robur surgeret inde meo!

O cu-

O cupiam, Fernande, licet bis sena propinquent
Lustra mihi, ignotam solus inire viam,
Solus & Alpinas ascensu vincere rupes,
Solus & irato ducere vela mari.
Quæ mare, quæ tellus, quæcunque pericula cælum
Objiceret, finis vinceret illa viæ,
Finis ALEXANDER, Quem per Te cernere tantùm
Si liceat, majus nil dare Roma potest.

# HENRICUS BONNINGHUSEN

Westphalus

E SOCIETATE JESU

## DE VILLA COLLINA,

*In quam animi causâ* FERDINANDUS *Episcopus & Princeps Paderbornensis secessit, mensibus æstivis An.* 1668.

O Serenæ decus, ô beata villa!
Villa an diceris, an vocaris aula?
Villa es rustica villico incolente:
Dum Princeps habitat, vocaris Aula.
Non tu marmoreis quidem columnis
Celsam porrigis inter astra frontem:
Ornatum domui dat inquilinus;
Ex illo pretium, decusque ducis.
At ne te pudeat velim, quod ipsa
Tecto sis humili, nec eleganti,
Dum Celsissimus hospes est; superbam
Magni nominis æmularis arcem.

Non alto aggere valla te coronant,
Quæ lentis aqua fluctibus flagellet:
Non fulgentibus hinc & hinc sarissis
Stipat Martia militum caterva:
Tamen te foveis aquisque cinctam
Pons versatilis undequaque munit.
Es sedes Charitum, domus Voluptæ:
Junctæ hic Naiadibus leves Napææ.
Quàm gratâ undique frondium coronâ
Verrit sidera quercuum theatrum?
Quali murmure mutuis vicissim
Hîc pinus sociam comis salutat?
Hinc densum nemus, æquor inde Sennæ,
Et sylvestria pinuum vireta
Oblectant studio levis Dianæ.
Hîc Princeps procul aulico tumultu,
A curis vacuam laboribusque
Tranquillâ recreat quiete mentem.
Non hîc auribus obstrepunt clientes,
Causarumque forensium patroni;
Non clangor litui, tubæque plausus.
Non hic nobilium, Ducumque cœtus,
Non fulgens famulâ cohorte pompa,
Raptos dissipat abstrahitque sensus.
O villa inclyta! digna nominari
Phœbi & Pieridum domus sororum.
O felix nimis, ô beata villa!
Felix Principis hospitantis aula!
Curæ hic longius exulent, nec ullos
Admittas, precor, Hospitis dolores.
Illi dum placitam dabis quietem,
Debemus Tibi Patriæ salutem.

# HORTENSIUS MAURUS VERONENSIS

## AD

# FERDINANDUM

*Episcopum & Principem Paderbornensem de acidula Smechtana, seu fonte Mellito.* *An.* M. DC. LXVIII.

AUrea dum primæ coluerunt sæcula gentes;
Ambrosias populis mella dedêre dapes;
Aëriæ quercus sudarunt roscida mella,
Mel fuit in foliis, mel fuit inter aquas.
Te quoque, qui reddis nobis ea tempora, Princeps
Inclyte, non miror mellis amore capi.
Cum Tu sis verè mirâ dulcedine morum,
Melleus ingenio, melleus eloquio,
Par est, ut fontes ipsi Tibi mella propinent,
Ut Tibi mellitas terra ministret aquas.

J A-

# JACOBUS LIBENUS
## E SOCIETATE JESU
## AD FERDINANDUM
## LIB. BARONEM DE FURSTENBERG,
## ALEXANDRI VII.
## PONT. OPT. MAX.
## CUBICULARIUM INTIMUM, &c.
### *De morte Natalis Rondinini.*

LUgete vates, tuque magnorum arbiter
Facunde vatum, funebrem lessum præi,
Positaque lauro, fronde ferali caput,
Fernande, cinge: causa lugendi gravis.
Heu! Rondininus, ille Musarum sinu
Exceptus olim, quando materno puer
Gremio cadebat; mox secuturis chelyn
Tacturus annis; inde cùm major virum
Formarit ætas, ore promturus sacro
Sublime carmen, quod poëtarum chorus
Miretur omnis, quodque Parnassi jugo
Resonante feriat astra, Divosque exciat.
Heu! Rondininus, ille grandævæ labor
Et summa matri cura, [1] nec minor tamen
Matri voluptas: ille tot fratrum decus,

Amor

1. Felix Zachia Rondinini nostri mater, cui maritus Alexander moriens novem liberos reliquit.

Amor ſororum, gaudium tantæ domus,
Æquare [2] Paulum purpurâ, atque annis [3] avum
Superare dignus: ille tantarum capax
Gnaruſque rerum, Juris, & Conſi, [4] & ſacræ
Plenum Sophiæ pectus, & Suadæ nitor,
Medulla Charitum: quodque plus cunctis reor,
Magno ille [5] Fabio, magno Alexandro (aureis
O nata ſæclis nomina, & fauſti ominis!)
Cliens patrono traditus; fors hac manu
Gradus per omnes, vita ſi ſtaret ſuper,
Ducendus ipſum ad culmen Imperii ſacrum:
Heu! Rondininus ille nunc funus jacet,
Ætatis ipſo flore ſuccifus, roſæ
Vernantis inſtar, ſubita quam duro necat
Pruina morſu. Fata prô nimiùm invida!
Spes ille quantas occidens ſecum trahit,
Infertque tumulo! rapuit immitis virum
Libitina, nil miſerata; non celſam indolem
Moreſque caſtos; non & antiquum genus,
Non & juventam; non Apollineam quoque
Reverita laurum, [6] Laura quam caro excipe
Fratris cadentem vertice, in caſtum tui

Ser-

2. Paulus Æmilius Rondininus, S. R. E. Cardinalis, frater noſtri, pius admodùm & doctus.

3. Natalis Rondininus, noſtri avus, centenarius fuit.

4. Noſter Græcè & Latinè doctus, Juriſprudentiæ & Theologiæ peritus.

5. Fabius Chiſius, anteà S. R. E. Cardinalis, nunc Alexander Papa VII. Rondininum noſtrum in familiâ ſuâ habuit, & ſcribendis ad Principes epiſtolis adhibuit.

6. Laura Rondinina, noſtri ſoror, doctrinâ & literis à Tarquinio Gallutio, & Alexandro Donato Societatis JESU Patribus egregiè imbuta, cui Cardinalis Bentivolus ſuam de Bello Belgico hiſtoriam Latinè vertendam tradidit, quod tamen ipſa modeſtè recuſavit, abdicatis ſæculi curis nunc in Cœnobio Virginum ſanctæ Tereſiæ ſanctiſſimè vivens.

Sertum pudoris, inque doctrinæ decus.
Nam & ipsa vates, scita Donatum loqui
Gallutiumque Virgo; solers & tuos,
Bentivole, Belgas volucre atque ipsos potens
Donare Latio, cura nî sacratior
Teresianis rapiat in cælum ignibus
Humana solido cuncta calcantem pede.
Quid fata culpo? cœca gens mortalium
Nescimus in quid rapiat, aut servet Deus:
Et sæpe servat, cùm rapit. [7] Non est Deo
Testante, non est semper in canis salus,
Nec vera in annis vita. Vixit is diu,
Qui validus ævi, qui puer diem benè
Clausit supremum. Non tuos hinc jam sequor
Manes querelis, forte nec mœstus tuâ
Te plango, Rondinine; sed luctum ardeo
Mutare plausu, quando pars melior tui
Se jam beatis cælitum admiscet choris
Lætum canens pæana. Non omnis jaces;
Et urna cineres quæ brevis claudit tuos,
Non claudit animam, sidera & cæli super
Globos euntem, & spatia mirantem poli
Immensa, quæ non [8] Archimedeo datur
Obire radio. Nec tamen nostris procul
Terris abisti: vivis & spiras adhuc
Te major ipso, & carior jam nunc tuis.
Suprema te non abstulit mundo dies,
Sed genuit: oris namque terrarum ultimis,
Per utramque solis cuncta lustrantis domum
Te, Rondinine, (non sat auditum exteris

N Huc

7. *Sap.* 4. Raptus est.
8. Matheseos in primis peritus fuit.

Huc uſque populis nomen) ex hoc jam die
Perennibus te fama cantabit tubis.
Non ergò, non hunc eſſe funeſtum tibi,
Sed eſſe vitæ crede natalem novæ.
Et tu querelis parce jam tandem, tuis
Jam parce lacrymis Zachia, quæ nullâ magis
Felix [9] virorum prole. Natalem juvet
Genuiſſe vel ſic. Ille germanos ſupra,
Ipſumque Joſeph (dulce [10] mihi nomen) cruor
Quem [11] jure decorat Ottomanorum, & ſuus,
Lauro decorus ibit; ut laurum ſuper
It lingua, doctæ ut arma concedunt togæ.
Nec invidebis poſtumum hoc fratri decus,
Caroque cineri facilis hanc palmam annues,
Pietate præſtans Paule, quem Patrum eminens
Effert Senatus, quemque geſtantem infulas
Sibi gratulantur [12] Aſſiſinates patrem.
Tuque illa rerum domina, terrarum dea,
Quæ ſepticolli vertice attingis polum,
Fecunda vatum Roma, Natalem [13] tuum
Plorare ceſſa. Vivit: in ſuo integer
Achate vivit, Muſa quem functo parem
Et Rondininum eſt viſa feciſſe alterum.
Habes in uno, Roma, [14] Furſtenbergio,
In Rondinino quidquid amiſſum gemis,
Habes in uno, Roma, Furſtenbergio,

Bel-

9 Felix Zachia multorum filiorum mater.
10 Alludit Poëta ad ſuas de Joſepho tragœdias.
11 Joſephus Rondininus, noſtri frater, profligatis ad Candiam Turcis, majori tubo ictus occubuit.
12 Rondininus Cardinalis Aſſiſiorum Epiſcopus.
13 Rondininus noſter Romæ natus.
14 Ferdinandus Furſtenbergius Rondinino noſtro amiciſſimus fuit; Poëta & ipſe maximus.

Bellona quamvis ferrea hoc ſæclum terat,
Sæcli Poëtas aurei, quos & colat
Auguſtus ingens, Walliumque & Heſium,
Et qui ſequuntur. Ire jam nobis quoque
Poſt Rondininum vatibus ad umbras licet:
Tu dum ſuperſis grande Parnaſſi decus,
Sacrique, Ferdinande, moderator chori,
Dignum cothurno nomen, & plus quàm meo.
Tuque ô ſacrorum maxime Antiſtes, vicem
Gerens Tonantis, proximum Chriſto caput,
Cui fas olympum clavibus cælo datis
Reſerare, fas & claudere: extinctum haud puta
Quem lux avorum, [15] illuſtre Boldrini genus,
Et orbis Atlas ille, Romanam fidem
Piſis labantem pace qui fulſit ſuâ,
Tam clara proavûm nomina exſtingui vetant:
Quem pura ſceleris vita, candorque ingenî,
Linguæ venuſtas, certa virtutis comes
Scientiæque fama; quem vates [16] tui
Poſt fata canimus. ſic mori votum eſt mihi.

15 Rondininus noſter ſuos inter Majores numerabat Boldrinum, de quo Sfortiades; Nicolaum, de quo Marcus Guaſcus; Bartholomæum, de quo in Chronicis Prædicatorum, cujus ope & conſilio Piſanum Conciliabulum eſt diſſolutum.

16 Alexander VII. Mæcenas Poëtarum Optimus Maximus.

# JACOBUS MASENIUS

## E SOCIETATE JESU

## AD

## FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

*Paderbornenſem & Hildeſienſem Canonicum, Romam inviſentem. An.* M.DC.LII.

DEſeris Angariam, Rhenique faventis amicos,
Et Paderæ fontes, Bilſtenioſque lares?
Scilicet Auſoniæ cupidum ſpectacula terræ
Et Latiis rapiet culta palæſtra viris.
Ille trahet, nuper Tyrio veſtitus ab oſtro,
Senenſis Chiſius nobilitatis honos.
Et trahet argutis epigrammata ſtringere nodis
Qui docet, Anconæ gloria digna ſuæ.
Humoriſta [1] novos illic ab Apolline fontes,
Pegaſeaſque hauſtâ NUBE propinat aquas.
Viſitur Etruſcis vacuata CUCURBITA Muſis,
Pro ſale quæ Vatum condit aperta ſales.
Hic quoque Triticeo gaudet Florentia CRIBRO,
Floribus eloquii paſcere docta ſui.
Non ego Piceno NATAS BOVE tango VOLUCRES,
Melligerûm docilis blanda alimenta ſcholæ.
Forſan &, oblato poterit Ferraria PRÆLO,
Ad Muſas, dignâ laude vocare tuas.

Quod

1 Symbola Academiis Italiæ uſitata. Humoriſtæ Romæ nubem reſolutam habent, cum lemmate, *redit agmine dulci*. Senenſes intronati in Etruria vacuam cucurbitam illic ſale repleri ſolitam, cum inſcript. *Meliora latent*. Florentini Furfurarii cribrum cum lemmate, *Florem tritici meliorem ſecernit*. Auvivati in urbe Picena, Apes ex mortuo bove ſurgentes. lemma, *alieno funere vitam*. Ferrariæ Intrepidi Academici prælum ferunt. lemma, *Premat dum imprimat*.

Quod te cunque igitur noſtris procul abſtrahit oris,
Haud leve, FERNANDE, id ponderis inſtar habet.
Palladiam docili prenſas pede gnarus arenam,
Et Vaticanæ tecta ſuperba domûs.
Suada rapit, Latiæque rapit pietatis imago,
Eximiâque orbis parvus in urbe rapit.
I licet, & Vatum fortuna ſequatur euntem:
Sit via præſenti Numine tuta tibi.
Non [2] Phaëthonteas cupiam ſervire quadrigas;
Nec quas Oenomaus rector agebat equos;
Nec Balium Zephyro genitum, Xanthumque jugalem,
Æacidæ celeres doctum agitare rotas.
[3] Ardua ſepoſiti tibi non tentatur honoris,
In lapſus nimiùm ſemita prona novos.
Non etiam Cyprii currus verſantur amoris:
Sæpius hi dominos deſtituêre ſuos.
Sed nec eques Martis cupies augere ruinas:
Mitius ingenium Pallas amica dedit.
Pegaſus invictum quâ Bellerophonta, Chimæram
Dum necat, Alpinis hâc vehat arte jugis.
Quas & Amycleus tenuit moderator habenas,
Tu pro fratre novus Caſtor habere potes.
Nec tibi, ſi formâ, ſi concertetur honore,
Judice me, Vati gloria parva foret.
[4] His minor ut cedas, certè virtutibus ille
Cedit, & ingenii palma futura tua eſt.
[5] Cyllare, ſublatum pacato tergore Vatem
Suſcipe, commotum nec quatiare latus.
Colla jubata, licet, ſparſis jactentur ab Euris,
Curventurque agili crura voluta gradu:

 Sed

2 Equi veterum celebres.
3 Vitiorum fugiens.
4 Votum pro equite profecturo. 5 Equus leniter pro vehens optatur.

Sed leni faciles humeros moderamine flectas;
  Nec meus, incusſâ calce, moretur eques.
[6] Quà vehitur molles aſpirent leniter auræ;
  Qualiter Hybleis exſpatiantur agris.
Tu modò ne madidis occurras Auſter habenis.
  Mutato Zephyrus tranſigat axe vices.
Ne ruat irato furibundus turbine Caurus,
  Non decet ingenium mite furore peti.
Invenies animæque nives, morumque nitorem:
  Ergo tuas cohibe, quas ſpuis Urſa, nives.
Siqua procella cadat prægnantibus humida nimbis,
  Hæc procul averſis exoneretur aquis.
Quasque coquit rigidas nox defectura pruinas,
  Eliquet has placido rore propinqua dies.
Audiat hæc facili præcepta tenacius aure,
  Qui regit Alpinos hiſpidus Eurus agros.
Horrida ſaxoſos inclinet Rhetia montes:
  Siquis adhuc ſaxis ſenſus ineſſe poteſt.
[7] Hos docet Amphion citharâ potuiſſe doceri,
  Dum cantu rigidi ſubſilicre pedes.
Siſtimus hic juvenem qui priſcum Amphiona vincat,
  Seu teſtudo tibi, ſeu lyra tacta placet.
Siqua tuas unquam molleſcere fabula rupes
  Fecerit, obſequio nunc potiore facit.
Non venit immeritos flammis violare penates,
  Qualis ab infidis Punicus hoſtis agris:
Attamen huic duri colles ceſſiſſe feruntur,
  Rupit acetoſus pervia ſaxa liquor.
Plus aliquid poterunt fontes Helicone cadentes,
  Plus quoque Pegaſeos lympha creata pedes.

Quod

6 Aura immitior proſcribitur.
7 Alpium durum iter cantu mitigandum.

Quod nulli licuit, Vati licuisse videmus;
Virtuti ac Musis invia nulla via est.
Ibit inaccessas, cui mens divinior, Alpes:
Inveniet stratam nubibus ille viam.
Non hic Dædaleæ metuit vestigia plantæ,
Tutior ingenii dote futurus erit.
I, sed Hyperboreo nutritas cardine Musas,
Ausonios tecum fas sit adire lares.
[1] Hic tecum pietas vernantes transigat annos,
Quæ fuit à cunis semper amica comes.
Sæpe peregrino, mihi crede, sub æthere virtus
Destituit fessos præcipitata gradus,
Blanditiæ subeunt, subit ignorata voluptas;
Otia probrosi sunt alimenta mali.
Musa trahit Charites, Charites sociantur Amori:
Ille suos ignes, & sua tela gerit.
At scio delusas in Te malè congeret artes:
Armaque Virtutum, queis superetur, habes.
Virgineis juvenis sanxisti fœdera Musis.
Verus eris, qualis fictus Apollo fuit.
Ille per Europæ Chisius celeberrimus oras,
Ille Salesiacæ lumen honorque scholæ,
Addet honestatis flammas, stimulosque pudori,
Virtutique faces, ingenioque decus.
Pars vestrûm quandoque adero (sed Numine plenus)
Accipiamque datâ mutua verba vice,
Tunc, ubi Teutonicas Chisius sermonibus oras
Viset, & ad notam mente redibit humum.
Accurram facilis, quò me meus auferet ardor,
Juverit ex imâ tunc quoque sede loqui:



[1] Nulla tutior in terris peregrinis comes, quam virtus, sæpe illic amissa.

Et Mimigardiacas vestro sub climate pallas,
  Fas erit apposito commemorasse joco.
Quin Latias illic Musas habitare penates
  Agricolûm, & visam Pallada aratra sequi.
Alpha suis etiam tunc fortè merebitur undis,
  Et dici, siquis notus amicus erit:
Rhenicolasque suos, ac Belgica lumina tanget,
  Vekenii juxta Nihusiique memor.
Pars etiam merear fortasse Masenius esse;
  Ingenuâ causam simplicitate dabo.
Arridebo procul verbis, Chisiusque vicissim
  Blandus erit, motus sentiet ille meos.
Est aliquid cultâ fundentem oracula voce
  Cernere, conjuncti gratia magna viri est.
Gratulor: accedes, nec inhospita tecta videbis,
  Et Mecœnates posthuma Roma capit.
[9] Plurima Romuleæ vises miracula gentis,
  Quæque dies præsens, quæque vetusta tulit.
Hic Tarpeia tibi pandet Capitolia rupes,
  Perque triumphales ingrediere vias.
Terminus hæc quondam lapis indivulsus habebat,
  Cum Jove dejectus Terminus iste suo est.
Inde Palatini dum per convallia montem
  Ductus adis, Dominæ sis memor ante tuæ.
Hic ubi Vestales posuêre cubilia quondam,
  Castior his Virgo fixit Hebræa thronum.
Romulus hic etiam simulacra propinqua ferebat,
  Sed melior sedem nunc Theodorus habet.
Ardua Cæsarei spectes vestigia pontis,
  Qui mediâ montem junxit utrumque viâ.

Ora-

[9] Romanæ urbis, tam veteris, quàm novæ rudis quædam descriptio.

Oraque Marforii mordacibus improba dictis,
  Area Romani quà patet ampla fori:
Hic quoque Septimii curvis anfractibus arcus
  Martia, suspensá mole, tropæa gerit.
Sed neque Saturni veteris sacraria spernes,
  Quæ capiunt aras nunc Hadriane tuas.
Nulla viatorem reget hic inscripta columna:
  Succubuit tritis fessa columna notis.
Rostra Palatino procumbunt subdita monti,
  Quæque vetus tenuit Curia, fracta jacent.
Est lacus in medio, præceps quem Curtius olim
  Funere non poterat contumulare suo.
Nec sua Tarquinii deerit nunc urbe cloaca,
  Quæ juga libratis molibus alta secat.
Cæsar & Augustus fora proxima nomine complent,
  Porticus hic geminum pandit utrimque latus.
Antonina suos gerit, & Faustina triumphos,
  Plurimus, in fido marmore, miles ovat.
Haud procul amphitheatra suis oppressa ruinis,
  Quæque Camille struis Gallica busta cubant,
Aspice, quæ superant Solymeæ insignia gentis,
  Hæc tulit ex captâ Vespasianus humo.
Aurea vasa suis candelabrumque figuris
  Sculpta nitent, raptis signa vetusta sacris.
Pergis Aventinos aperit quà semita colles?
  Perge, tuis oculis hic nova scena patet.
Hic Numa bifrontis posuit spectacula Jani,
  Pax cui ter geminas clausit amica fores.
Invenies etiam cultæ Pietatis honorem,
  Nunc ubi Nicoleos plus pietatis habet.
Fors erit historicus memorem qui dicat in aurem,
  Hic captæ Matris Filia mater erat.

Hæc longæ damnata fami tenebriſque jacebat,
Uberibus Matrem paverat illa ſuis.
Veſta ſuas ædes unâ teſtudine clauſas
Offeret; hæc Stephano relligione vacat.
Herculeis etiam manet hic virtutibus ara,
Et fora de raptis nomina bobus habent.
Quæque procul muſcis, procul evitata Moloſſis,
Poſteritas tribuit templa rotunda Deo.
Culta Pudicitiæ quondam hic ſurrexerat ædes,
Limina cultori deſtituenda ſuo.
Tullus adhæc poſuit Fortunæ templa ſecundæ,
Multus in his templis irrita thura dedit.
Bis geminis hic fulta dabas, Vertumne, columnis
Culmina, tot facies ædis, & ora tibi.
Quin ſub Aventino templum ſibi Murtia clivo
Legerat; hoc noli ſacrificare loco.
Forſitan invenies priſci veſtigia Circi
Carceribus metas oppoſuiſſe ſuas:
Maximus hic, lataſque rotis pandebat arenas,
Naumachiæque datas excipiebat aquas.
Hic obeliſcus erat geminus, lapis unus uterque,
Qui prope tranſiret nubila uterque lapis.
Nunc Lateranenſis complet miracula campi,
Et ſtatuit magnæ parta tropæa Crucis.
Quid modò Septimii tibi ſeptizonia dicam?
Quanta fuit moles tertia zona docet.
Quid Conſtantini manibus victricibus arcum
Surgentem memorem? quid ſimulacra viri?
Appia Brunduſii quâ ſe via fundit ad oras,
Conſpice, principium tramitis arcus erit.
Cælius hinc ſurgit, Stephanique extollit honores,
Hic ubi, Faune, tuis ſana rotunda ſacris.

Hic quoque Cyprigenæ, ſociique Cupidinis ædem
Occupat erectis Crux Solymea tholis.
Hinc ubi diſcedis, quà Te rapit Appia, Virtus
Culta fuit, cultus ponè ſecutus Honos.
Atria Thermarum mediis ſurgentia ſilvis,
Deliciæque jacent nunc Caracalla tuæ.
Servat Aventinus memores ex mole columnas,
Hac, Albina, tuæ quà patet ara domûs.
Surge licet, montis tenuit Diana cacumen,
Quod tenet everſis Diva Sabina focis.
Hinc Regina Deûm procul ablegata receſſit,
Nec mansêre Bonæ ſacra maligna Deæ.
Virgo parens ſubiit, ſimul & Regina Tonantis,
Quæque Bonæ partes impleat una Deæ.
Ceſſit & Alcides, ſucceſſit Alexius, illo
Fortior; ille virûm victor, at iſte ſui.
Hic quoque Gemonias, horrenda piacula, ſcalas
Sacrilegos cernes exanimaſſe viros.
Pyramis hic reſtat Ceſtî complexa cadaver,
Niliacos quondam buſta imitata rogos.
Nec procul Eſquiliis Nero duxit ad aſtra Coloſſum,
Maximaque hic urbis pars fuit una domus.
Mecœnas etiam, Muſarum rara voluptas,
Hybla, tuas hortis conciliavit apes.
Et placuit ſedes habitanti culta Maroni,
A Domino ſedes cultior ipſa ſuo.
Hinc clivus ſequitur, nomen fecere Saburræ,
Et Tiburtini marmoris arcus opus.
Præneſtina ſimul geminum via mole tropæum
Suſtulit, hæc Marii fert monumenta Ducis.
Hic quoque bis centum pallatia nixa columnis,
Cæſareis quondam culta fuêre viris.

Quid

Quid memorem gelidos ſuperat quos Martia fontes?
Plurimus his potus, ſed Nero lotus aquis.
Aſſurgit propior vicino Vimine collis,
Viminibus juſſus nomen habere ſuis.
Hic veteris cernas Romæ miracula Thermas,
Rudera ſunt Socii Maxmiliane tui.
Ulpia nil reliquum Tibi bibliotheca reliquit,
Affligit Clarias tanta ruina Deas.
Inde Quirinalis tanges faſtigia montis,
Nec procul ingentes corpore, Martis equos.
Creditur hic coluiſſe ſuos Salluſtius hortos,
Larga ubi nunc liquidis vena ſcaturit aquis.
Hic inceſta dedit Scelerato nomine campo
Mutia, criminibus viva ſepulta ſuis.
Mox ubi deflexis urbem luſtrabis habenis,
Hiſpani Vatis prætcragêre lares.
Improba Flora ſui dabit hic veſtigia Circi;
Improbitas illi nomen honorque fuit.
Hic Marcellini verſatile pegma theatri,
Auguſto dignum Cæſare pegma, ſtetit.
Quamque parens habuit Octavia, porticus ingens,
Jam prope ruderibus ſemiſepulta ſuis.
Sunt quoque Flaminio Vulcania culmina Circo,
Hic ubi ſacrilegos non tulit ulla canis.
Hercule Muſarum ſocio fuit inclyta ſedes:
Inquiras, Genio digna ſit illa Tuo.
Haud procul invidioſa ſuâ ſtant mole theatra,
Quæ Pompeius opum prodigus ante dedit.
Nec Te prætereant Divorum Panthea Matris,
Quæ modò vera Dei Panthea mater habet.
Illa ſuis olim memorant argentea tectis,
Invidus has raptor fert Orientis opes.

Hic

Hic testudo suis mirè laquearibus hærens
Panditur, ac haustum dividit orbe diem.
Restat Agonalis notus certamine Circus,
Quæque Neronis erant balnea rara, fluunt.
Dicitur, occultis gavisa Proserpina sacris,
Altâ cultores occuluisse specu.
Isidis infando quoque furta infamia cultu,
Et Cyprii lusus his celebrata locis.
Martius hic, priscis celeberrima nomina fastis,
Campus erat, cultâ nobilitate frequens.
Sed quoque septa suis panduntur ovilia metis,
Hinc suffragatrix plebs sua vota dabat.
Porticus & juxta sese Antonina recludit,
Quam regit undeno fulta columna pede.
Virgo salutiferis hic defluit unda scatebris,
Juturnâ vetus à Virgine nomen habens.
Hic Auguste tuis obeliscus conditus umbris,
Explicuit certos, per data signa, dies.
Porticus hic claudens crebris viridaria lauris,
Naumachiæque patens Martia vallis erat.
Augusti taceo surgentia Mausolea,
Æmula vix æquo Memphis honore tulit.
Nec varios memoro Tiberino in flumine pontes,
Barbara quos Totilæ sustulit inde manus.
Tu tamen hac transi, quà se via pandit ad arcem,
Et regio pateat Transtiberina Tibi.
Hic juga quæ Jano quondam sacrata sepulto,
Ostendent StatI' juncta sepulcra tui.
Forsitan &, Vates quæ Bilbilitanus amabat,
Invenies cultis lilia mixta rosis.
Hinc Vaticani rapient spectacula montis,
Scena tuis oculis quo satis apta patet.

Hic, ubi vaticinans quondam præſedit Apollo,
Fixit Apoſtolicus ſidera bina Chorus.
Proximaque aſtrifero fulgent pallatia cœlo,
Omnis in hoc unum confluit artis opus.
Forſitan inde trahet, ſpectantem cetera, caſtrum
Pontificum, dubio Marte, reperta ſalus.
Angelus huic nomen, quadram faber artę figuram,
Materiem, Pario marmore, terra dedit.
Plurima prætereo non prætereunda videnti:
Judicio melior dux eris ipſe tuo.
Omnia cùm tandem Romæ ſpectaveris, uno
Nil poterit Chiſio dulcius eſſe Tibi.

# EJUSDEM ELEGIA
## DE ERECTIS
## ALEXANDRO VII. P. O. M.
## COLUMNIS.
## AD
## FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,
*ſuæ Sanctitatis intimum Cubicularium.*

SI licet erectis, calamo ductore, columnis
Inter Alexandri ſurgere honoris opes,
Auſonium ſubeant Borealia munera cœlum,
Sed manibus ſubeant excipienda tuis.
Judicio, Fernande, tuo, vel ferre repulſam,
Vel ſummi mereant ora ſubire Patris.

Diſpi-

Diſpicis ingenio, quid tanto culmine dignum,
Nec priſcis fulges Vatibus arte minor.
Virtuti conjuncta fides, & candor honeſtæ
Mentis, ſummorum dignus amore virûm.
Quicquid Alexander divinâ mente probavit,
Judice me, ſummam laudis habere poteſt.
Gratulor hanc cœptis pandi felicibus aulam,
Quâ licet ingenii pandere vela tui.
Hic tibi virtutum ſummus veſtigia Princeps
Imprimet, obſequio ponè terenda pio.
Hic pietatis opes cum nobilitatis honore
Jungere, præſcripti cura laboris erit.
Hic quondam tradenda tuis præcepta capeſſes
Teutonibus, primo ducta magiſterio.
Perge, age, flos noſtræ gentis, flos inclyte vatum,
Per quod Alexander ducit honoris iter.
Quà præit exemplo, tutò ſectaberis. Una
Eſt virtus, per quam gloria digna venit.

## IDEM
### AD
### CELSISSIMUM PRINCIPEM
## FERDINANDUM

*Epiſcopum Paderbornenſem, Coadjutorem Monaſterienſem. An.* M. DC. LXVII.

GRatulor illuſtri Paderanam in vertice mitram,
Quodque tuo juncta eſt Urbs Mimigroda Pedo.

Nec

Nec minùs Ausonias, quibus aurea secula reddis,
  In Musas Charites gratulor ire Tuas.
Principe digna geris, seu te civilis adoret
  Curia, seu poscant jura sacrata Patrem.
Sed quod Apollineâ cingaris tempora lauru,
  Hoc magno vates Principe major habes.
Carolus imperii decus ingens, nomine Magnus:
  Saxonico quantus terror in orbe fuit!
Quæ tamen armatas vibrabat dextra sarissas,
  Norat & hæc blandis stringere verba modis.
Cumque suis hostem victor prostraverat oris,
  Intulit & doctis Palladis arma scholis.
Qui Nasianzeno celebratur Episcopus ortu,
  Ter lusit facili millia dena pede.
Una Pedum gessit, calamum simul altera duxit,
  Carminis æterni non peritura manus.
Ni sua Jessides panxisset carmina Rector,
  Viveret; at, spretâ viveret arte, minor.
Est aliquid sceptrum vibrasse, trucemque Gigantem
  Obtruncasse; tamen grandior ad citharam est.
Ter memorasse juvat Goliathum in cæde madentem:
  Si quater auscultes, nausea plena subit:
Ast ubi dulce melos vatis Polyhymnia ludit,
  Quò magis hanc audis, hôc magis illa rapit.
Chisiadæ triplicem caput exornasse Tiaram
  Novimus, & doctas laurea serta comas.
Sed Mimigrodiacas facili dum carmine pallas
  Exprimit, his cedit Pontificale pedum.
Rarus erit mitram lector qui curet, honore
  Par illo est multis, hunc prope solus habet.
Cetera vanescunt. Victuris nulla Camœnis
  Imminet obscuro nox metuenda specu.

Quot

Quot regnatores populorum oblivio preſſit,
  Letheiſque duces quot tumulantur aquis!
Quos olim Aſſyrio mundus veneratus in oſtro
  Cœlituum ſtupuit civibus ire pares;
Nunc atris ſepelit nox ignorata tenebris,
  Nullaque Pegaſei militis ala vehit.
Aſt cui Bellerophon dociles concedit habenas,
  Et ſubit illuſtrem celſa per aſtra viam,
Hunc feret æternis ſuper ultima ſæcula pennis:
  Immortale decus poſteritatis erit.
Eſt Tibi nobilitas Proavûm digniſſima, Princeps,
  Nec virtus tantâ nobilitate minor.
Acceſſitque Tuis virtutibus infula duplex;
  Par tamen eſt multis gloria tanta viris:
Aſt ubi Phœbeis vectaris in aſtra quadrigis,
  Inque coronatis vatibus alta tenes,
Suſpiceris, raruſque pari contenderit auſu
  Ire per æthereum, Te comitatus, iter.
In magnis hoc ſolus habes Heroibus. ornat
  Muſa Mitram, Muſam Mitra decora Tuam.

## IDEM

AD

CELSISSIMUM PRINCIPEM

## FERDINANDUM

*Epiſcopum Paderbornenſem, Monumentorum Paderbornenſium auctorem. An.* MDC. LXX.

EUge vetuſtatis reparator, Maxime Princeps,
  Auſoniis veterum ſæcula redde modis.

Longa quod annoſo triverunt tempora curſu,
Verſibus hoc noſti reſtituiſſe Tuis.
Fabula Thebanos ſubſtruxit carmine muros;
Quod doctis renovas verſibus, hiſtoria eſt.
Erigitur priſcis ROMANUS ALISO ruinis,
Ad Fernandeæ plectra canora lyræ.
ARMINIUS rurſum vincit, ſtratoque triumphat
QUINCTILIO, &, quanquam Pallas inermis, ovat.
AMISII niveo conſurgunt marmore FONTES,
LUPPIA Romuleis caſtra reviſit aquis.
Inclyta BRUCTERICIS fulget DELBRUGIA ſignis,
Tollit ERESBURGO Mars ſimulacra ſolo.
BRUNISBERGA iterum victricia ſuſcipit arma,
Francorumque timet ſubdita BOCA jugum.
Tollitur hinc priſcis arx DESENBERGICA ſaxis:
Hinc CUNIGUNDA Tuo PADERA fonte bibit.
Pergit adhuc medicas DRIBURGUM fundere lymphas,
Et PYRMONTANIS LUGDA ſuperbit aquis.
SINTFELDOS fulgent CAROLINA TROPÆA per agros:
Surgit HERISTALLI gloria priſca novi.
Statque WEVELSBURGUM reparatâ ſæpius arce:
SENNAQUE florilegas cum grege nutrit apes.
FONS RESONUS bibulos haurit, revomitque liquores,
Electro PADULUS Principis ora rigat.
At SMECHTANA ſuis contendit vincere lymphis,
Æmula DRIBURGI plus tamen unda poteſt.
Quid FURSTENBERGÆ memorem primordia GENTIS
Quæ longis retrò condecoratur avis?
Omnia ſplendeſcunt, inſtauranturque caduca,
Squalorem ponunt inveterata ſuum.
Amphion rapiat fontes, ac mœnia plectro:
Plus facis: ad citharam ſtant rediviva tuam.

Id,

Id, quod erant, mortale fuit; quod carmine reddis,
Immortale ferunt hoc Monumenta decus.

# JACOBUS VVALLIUS

## E SOCIETATE JESU

## AD

Illustrissimum & Reverendissimum

## FERDINANDUM

Lib. Baronem de Furstenberg, Canonicum Paderbornensem & Hildesiensem.

*In illud Ciceronis, quo poëtas omnes ait inter se dissimiles esse, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem; adeoque parem pænè laudem in dissimili scribendi genere iis tribuendam esse.* Lib. 3. de Orat.

SIc tua Romano celebretur Musa theatro,
Nec minus Arctoo nomen ab orbe ferat:
Ut tibi magnorum laudantur carmina vatum,
Quos vetus, & veteri Roma secunda tulit.
Non res, non numeri, non impetus omnibus idem:
Omnibus ex merito laus tamen æqua suo est.
Pasceris ingeniis, & te non una moratur
Gratia: quisque suâ, quâ valet, arte placet.
Nos quoque, nos tecum non causâ tangimur unâ,
Cur aliquod dignum laude putemus opus.

Inter tot ſpecies quid non Natura decoris,
 Cum variis terram floribus ornat, habet?
Hîc eſt auroræ, puri color aëris illic:
 Hic pallet: nitet hic: hic rubet: ille viret.
Diſſimiles quamvis, nec ſit decor omnibus unus;
 At rapit hic oculos, & rapit ille meos.
Lilia me capiunt albo, vaccinia nigro:
 Quo flos me capiat diſcolor alter habet.
Frondibus arrectis placet hic, placet ille repandis;
 Et forma, in dubio eſt, hæc ſit, an illa prior.
Hic quia ſuavè rubet, gratumque exſpirat odorem,
 Fragrantem digitis ſubſecuiſſe velim.
Quis violas gratâ pictas ferrugine damnet,
 Gratior albentis ſicubi forma roſæ eſt?
At minor hortorum eſt, quam Pindi gloria noſtri,
 Hîc viget ingenio quiſque poëta ſuo.
Ille leves elegos, levibus ſolatia curis,
 Fortia Mæoniis hic canit arma modis
Muſa dedit laudes aliis pugilumque, Deûmque,
 Liberaque impulsâ vina referre lyrâ.
Scenam alii ſocco ſubeunt, altóve cothurno:
 Et plauſu reſonant quæque theatra ſuo.
Nunc Troas, Thebæque placent, & barbara pellex;
 Nunc fallax ſervus, difficiliſque pater.
Sunt quos blanditiæ, ſunt quos irata Lycambæ,
 Tinctaque mordaci carmina ſelle juvant.
Nil non diſſimile eſt: res eſt liberrima carmen.
 Non aliter Muſæ ſcribere quemque velint.
Quid prius eſt illo? quid & hoc, quid cultius iſto?
 Confer: erit longæ res dirimenda moræ.
Non, ſi Pelides æternum nomen Homero,
 Simichidæ nullum Daphnis habere dedit.

Sedibus exactos cantu celebrare tyrannos
  Non erat ingenii, Lesbi puella, tui.
Quid tamen Alcæo vates celeberrima debet?
  Num minus ardoris, num minus artis habet?
Si fuit Archilocho pugnax & liber iambus,
  Quid mirum? justus ceperat arma dolor.
Dum celer in pugnas fertur, dum cornua sumit,
  Deliciis potuit scilicet esse locus.
Deliciis locus aptus erat, cùm Cypris Adonin
  Flevit, & in questus ingeniosa fuit:
Aut inter calices citharam cum carmine movit
  Vincta celebratis Teïa Musa rosis.
Aptabat nervos, ut res & nomina regum
  Diceret: at nervos attenuabat Amor.
Materies placuit fidibus levioribus apta,
  Cumque suo Bacchus munere carmen erat.
Et modò parvus Amor, matri sua vulnera monstrans
  Saucius illacrymat, seque perisse putat:
Et modò dicit apes parvæ genus esse lacertæ,
  Quæ circùm flores, & thyma summa volet,
Quæ petat incautos, quæ venis fixa relinquat
  Spicula, quæ morsu virus habente necet:
Et modò materno monitu non mitiùs uri
  Credit, quos arcu læserit ipse suo.
Quis tenues lusus, & læti pectoris ignes
  Improbet? à nobis sit procul iste furor.
Sculpserit Alciden alius, Lapithasque bimembres,
  Aut, in Titanas cùm movet arma, Jovem.
His magnos membrorum artus, his ossa, torosque,
  His dederit sævis lumina torva minis;
Huic etiam fulmen, semiustaque fulmine monstra,
  Impetere aggestis montibus ausa Deos.

Tu meliùs pueri molles, Polyclete, capillos,
Impubesque genas fingere doctus eras.
Ducebas meliùs teneros de marmore vultus,
Ascanii quales, aut Ganymedis erant.
Siquis, ut in vulgo, rudis & sine pectore judex,
Siquis, qui de te plura requirat, erit,
Desipit, & nescit, victori debita quæ sint
Præmia, dum primas qualibet arte ferat.
Quis Zeuxin, nisi mentis inops, dum laudat Apellem,
Arguat, & similem non velit esse sui?
Pinxerat, & pictis veras simulaverat uvas,
Uvaque deceptas picta trahebat aves.
Naturæ simularat opus. Quid defuit arti?
Quis gradus ulterior, quem sequeretur, erat?
Ille ego sim, cujus frondes laudentur & umbræ,
In tenui quamvis hæreat ille labor.
Ille ego sim, cujus vano quæ picta rubescit
Uva mero, captas fallere possit aves.
Certè ego nil magnum cecini: non Musa cothurnos,
Non ausa est gravibus tangere bella modis;
Non mores, Natura, tuos, & semina rerum.
Angusta est nostris area trita rotis;
Et tamen in seros hæc Furstenbergius annos,
Quæ modò cumque damus, vivere posse putat.
Si plus, quam par est, tribuit mihi, viderit ipse:
Judicii culpam diluat ipse sui.

IDEM

# IDEM FERDINANDO

## LIB. BARONI DE FURSTENBERG,

# ALEXANDRI VII.

## PONT. OPT. MAX.

## CUBICULARIO INTIMO,

*Canonico Paderbornensi, Hildesiensi, Monasteriensi, Hildesii Ecclesiæ S. Crucis Præposito.*

EFfecisti, Illustrissime Furstenbergi, cùm Elegiam in Natalis Rondinini funere à te scriptam legi, ut aliquid eodem argumento scripturus, necesse duxerim mentem aliò convertere. Cùm enim amantis dolentisque partes omnes à te absolutissimè expletas esse animadverterem, vix videbam, quid à me prætereà in hac causâ apud te proferri posset, qui mihi lacrymas omnes absumsisse videbaris. Si è prisco funerum & collacrymationum ritu colligendæ essent tuæ, crystallo, auro, gemmis excipere eas oporteret, quibus non antiquariorum abaci, sed poëtarum scrinia ornarentur. Habebat ille veterum luctus delicias etiam suas, cùm lacrymas unà cum succis odoratis & unguentis Assyriis confundebant: at tuo erga Rondininum studio, amore, pietate nihil potest esse suavius. Ut mihi quidem alabaster nullus unguenti plenus cum lacrymis tuis suavissimè redolentibus conferri posse videatur. γλυκύπικρον illud quod in amore, præsertim cùm ab

ab amante divellitur, inesse solet, luculentiùs prodi non potuit. Mihi igitur in luctu tecum communi scribere ad te quidpiam cogitanti doloris potiùs aberrationem, quàm ejusdem irritandi causas quærere consilium fuit. Occurrebant Philemonis Græci poëtæ versus, quem etsi Comicum, numeris tamen arctiùs vinctis Latinè loquentem feci. Non quòd ignorarem, quod ait Cicero, in tragœdiâ comicum vitiosum esse, & in comœdiâ turpe tragicum, sed quòd existimarem eum qui ad progressum in literis refert omnia, posse exercitationis gratiâ optimorum auctorum uti virtutibus atque sententiis; verba efferendique morem persequi eatenus, quoad res, & locus, & scribentis animus tulerit.

Εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῶν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον,
Ἀεὶ θ' ὁ κλαύσας τοῦ πονεῖν ἐπαύετο,
Ἠλαττόμεσθ' ἂν δάκρυα, δόντες χρυσίον.
Νῦν δ' οὐ προσέχει τὰ πράγματ', οὐδ' ἀποβλέπει.
Ἐάν τε κλαίῃς, ἐάν τε μὴ, πορεύεται.
Τί δὴ ποιεῖς; πλέον οὐδέν· ἡ λύπη δ' ἔχει,
Ὥσπερ τὸ δένδρον τοῦτο καρπὸν, τὸ δάκρυον.

*Si flere nostris esset auxilium malis,*
*Lacrymisque sese penitùs egereret dolor,*
*Mercarer auro lacrymas: nunc quid juvant?*
*Fortuna curat scilicet, quo te premat*
*Adversa fato: respicit flentis genas.*
*Sint squalidæ humidæque, sint tersæ tibi,*
*Nil te morata pergit, & cursum tenet.*
*Tuus igitur ille quid dabit luctus? nihil.*
*Sed arbor ut fert poma, sic lacrymas dolor.*

Prudentis igitur poëtæ usus consilio, teque à mœrore, quem importuna mors attulit, abstracturus, ad equestrem de-

decursionem prisco ritu in fortium virorum funeribus exhiberi solitam voco. Scis in quæ tempora inciderit Rondininorum virtus: qui pacis & otii turbines ac tempestates Italiam universam convellerint, cùm in Galliam traductâ Pontificum Romanorum sede civiles discordiæ miscerent omnia, & ut quisque ad seditionem & vim opibus instructior ac paratior erat, ita liberiùs latiusque dominatum per urbes occuparet. Fidei animorumque pleni pro Pontificiâ causâ stetere tum Rondinini. Quorum militaris indoles ac fortitudo ad posteros derivata Natali quoque nostro hos indidit spiritus, ut, quamquam partem ipse nullam bellici muneris attigerit, tamen de rebus quæ belli administrandi sunt propriæ, disserere in tempore, & suadere, & manu etiam aliquid designare utiliter posset. Sit igitur, quando Musis nostris sic incidit molestiam, & acerbitatem ex amici morte à te susceptam mitigare; sit, inquam,

NATALI RONDININO,

# ALEXANDRO VII.

*Ab Epistolis ad Principes, bellicam suorum gloriam, qua licuit, æmulanti, ex antiquo funerum more Trojana decursio.*

QUid juvat exequias longis miscere querelis,
Et tantùm lacrymas, munus inane, dare?
Non ego Natalem, quamvis mœstissimus, illis
Prosequar: ignoscat, non mihi flendus erit.

Cùm ſubit illius tamquam morientis imago,
Qui Pylios annos vivere dignus erat;
Cùm repeto primos ævi, quos geſſit, honores,
Et Romæ quot ſpes abſcidit una dies;
Flere quidem natura jubet: ſed, dicere pace
Naturæ liceat, quod jubet illa, gravat.
Non prodeſt certè: nec ſi quæ flevimus umquam
Funera, defletis reddita vita fuit.
Ergò ades, & mecum potiùs, Fernande, dolorem,
Quem penitùs nequeas tollere, falle tuum.
Ut ſe mens fallat, luctuque exſolvat amaro,
Multa movet: res eſt ingenioſa dolor.
Mitiùs ut Thebe ferret tua fata, Palæmon,
Addidit exequiis Iſthmia ſacra tuis.
Archemorum flevit Nemee: ſed & illa peracto
Funere victores currere vidit equos.
Juſta Menœtiadæ mœſtus ſolvebat Achilles,
Et pariter ludos, altera juſta, dabat.
Sic quoque feſta fuit, lætoſque novavit honores,
Quæ fuit Æneæ ſemper acerba dies.
Affuit, & patris monitu puerilia duxit
Agmina Sidonio vectus Iulus equo.
Diductis nunc illa choris, nunc currere junctis:
Nunc lituus pugnæ, nunc dare ſigna fugæ.
Ipſe puer pueris pietate præibat & armis,
Spectari causâ dignus utrâque puer.
Forſan & addiderit: Sic Troiam Troia reſurgens
Inſtruat, & noſtro ſæpe parentet avo.
Quis non hæc inter vultumque animumque remiſit,
Et caveæ junxit plauſibus ipſe ſuos?
Poſcebant lacrymas, poſcebant funera queſtus:
Queſtibus & lacrymis hæc poſuere modum.

O quæ tot magnos, [1] gens Rondininia, censes
Bellica quos cælo gloria vexit avos,
Hunc tibi quis morem referat, carisque tuorum
Manibus has pompas inferiasque paret!
Quos litui, dum vita fuit, quos arma juvabant,
Credibile est illo mortis honore capi.
Hæc quoque Natalem caperent simulamina belli,
Cui belli quondam munia ludus erant.
Ludus erant pernicis equi nunc ora lupatis
Flectere, nunc jusso figere tela loco:
Nunc præducendos urbi describere vallos,
Nunc formam castris aggeribusque dare:
Interdum virgâ, virgam cùm fortè teneret,
Ducere in exiguo pulvere Martis opus:
Interdum, tamquam pugnæ data signa vocarent,
Ad pugnam fortes esse jubere viros.
Si non Æacides, si non Telamonius armis,
Consilii pleno pectore Nestor erat.
Quis nescit? laus cuique sua est: bello alter & alter
Utilis: hic animo rem gerit, ille manu.
Fabula nota quidem, sed rebus idonea nostris,
E gravido Pallas vertice nata Jovis.
Non illi præsens aderat Lucina dolenti,
Solveret ut partum molliùs ipse suum.
Mulciber impacto juncturas verticis ictu
Diffidit: eque illo vulnere nata Dea est.
Et patrium mox illa genus moresque probavit
Edita: quàm sapiens, tam bona miles erat.

Hinc

1 Non, ut Ovidius in Tuticani, ita ego in Rondinini nomine hîc ludam, ac delicias faciam. Ab hirundinibus quidem nomen & scuti tesseram sibi sumsit illustrissima gens: verùm siquis de secundæ syllabæ quantitate mecum contendat, pro me stabit Centaurorum unus,

*Qui clypeo, gladioque, Macedoniáque sarissà*
*Conspicuus.* Ovid. Metamorph. 12. v. 466.

Hinc quæ consiliis, eadem Dea præsidet armis:
Nec minùs est laudi, quidquid inermis agit.
Palladis armatæ est acie concurrere, strages
Edere, confusâ vertere castra fugâ.
Qui juvet ingenio vires, qui temperet aptis
Omnia consiliis, illud inermis habet.
Pars hæc Natali placuit: sic arma gerebat:
Sic erat ipse suæ pars imitanda domus.
Fortunata domus, si te modò prisca tulisset
Græcia spectatrix roboris ipsa tui!
Tota tibi Nemeen complens bimarisque Corinthi
Litora, quadrijugis afforet acta rotis.
Nunc tua dum virtus [2] Italis caput extulit oris,
Nil agat in laudes Itala terra tuas?
Hei mihi, qualis erat, studiis dum scissa suorum
Præda foret belli sanguinolenta sui!
Qualis erat, dum quot populos numerabat & urbes,
Tot dominos esset pænè coacta pati!
Quæ poterat (jus arma dabant) sibi subdere quisque
Oppida, victoris præmia Martis erant.
Huic [3] Antenoridûm sedes, illi inclyta cessit
Mantua: Veronam diripuere Canes.
Sic lacer Actæon jacuit, cùm terga Melampus,
Pectora Theridamas scinderet, exta Lacon.
Aut, ubi Thebanæ laniarunt Penthea matres,
Hæc caput, hæc humeros abstulit, illa manus,
Quid referam, quos, Roma, tibi fecere timores
Sæva [4] tribunitius quæ tulit arma furor,

Et

2 Floruere Rondinini, cùm Romani Pontifices in Galliâ se haberent. Quam sedis mutationem gravissima hæc præ ceteris exceperunt mala:

3 Arsit intestino bello Italia, & Carrarii Patavium, Mantuam Passerini, Scaligeri Canes Veronam, alii alias urbes armis sibi asseruerunt:

4 Nicolaus Laurentii, scriba populi Romani, multitudine ad spem libertatis erectâ, in tribunitium nomen ac potestatem Imperatoriam invâsit:

Et malè ſacrilegâ geſtatus fronte [5] tiaras,
Et malè Cæſareâ [6] rapta corona manu?
Auxerunt portenta metus: mons Cœlius arſit,
Flaviadæque labor [7] templa fuere rogus.
Non aliàs [8] crinem cælo ſparſere cometæ
Triſtiùs, & medium condidit umbra diem.
Non aliàs graviore lues incanduit æſtu,
Et tellus victum parciùs ægra dedit.
Ah, cur Romanis umquam Pater Urbis abivit
Sedibus? abſceſſit non comitante Deo.
Cur umquam Rhodanum Tuſco malè prætulit amni?
Illa fuit tanti prima favilla mali.
At quæcumque fuit, gens Rondininia, cauſam
Unde tibi nomen creſceret, illa dedit.
Cùm faſti referent, quos ætas illa tyrannos
Extulit: Heſperii qui ſtatus orbis erat:
Qui bello exciti populi: quæ quiſque ſecutus
Signa: quis hoſtiles fregerit ultor opes:
Quæ ſint vindicibus pacatæ viribus urbes:
Quæ ſint victrici fœdera pacta manu:
In tantâ rerum ſerie tua facta recurrent,
Nec pars hiſtoriæ parva futura tua eſt.
Teſtor, Roma, diem, quo non impunè [9] tyrannus
Explicuit ſignis obvia ſigna tuis.
Ibat: eum belli circum fœdiſſima nubes,
Et furor, & cædes, & ferus horror erant.

Jam

5 Nicolaus V. præter legitimum morem Pontifex creatus eſt à Ludovico Bavaro, qui injuſſu Romani Pontificis Joannis XXII. pro Imperatore ſe gerebat:
6 Ab eodem Bavarus Romæ Imperii ſumſit inſignia:
7 Laterana Baſilica in monte Cœlio deflagravit:
8 Cometæ, ſolis defectiones, peſtes, annonæ penuria terrori & exitio fuerunt.
9 Nicolaum Piccininum, qui Bononiam, Ravennam, ceteramque Æmiliam Pontifici ademerat, Boldrinnus Rondinius bello cepit.

Jam dederat Tuſcis leges: infeſta ſonabant
  Claſſica per muros pulſa, Ravenna, tuos.
Jamque Quirinales aditum ſperabat ad arces
  Sternere Flaminiâ ſe ſibi poſſe viâ.
Reſtitit, & causâ fidens Boldrinus & armis
  Agmina fulmineo ſtantia fregit equo.
Utque leo, ſi fortè gregem, quem ſpectat euntem,
  In nova bellator paſcua taurus agat,
Ille fremit, quaſſatque toros: armenta minora
  Præterit: in ſolum vertitur ira ducem.
Nec mora: pugnatur: cruor adverſuſque ſuuſque,
  Mutua dum repetunt vulnera, colla lavat.
Horret ager: muſſant pavidæ fugiuntque juvencæ,
  Et quæ ſperabat præmia victor habet.
Haud aliter medios ibat Boldrinus in hoſtes:
  Succeſſum virtus ipſaque Roma dabant.
Ductoremque procul tumulo ſpeculatus ab alto:
  Huc feror: hæc, inquit, quam peto, præda mea eſt.
Dixit, & uni odiis turmiſque ſequentibus inſtans
  Injectâ tenuit perfida colla manu.
Dî juvere manum: Dî monſtrum [10] informe Latinis
  Avertêre focis: Dî voluere capi.
Vidit, & aſſertis Anemo pater excitus undis
  Ter plauſum ripâ liber utrâque dedit.
Et pariter Sapis, pariter popularia longè
  Flumina cæruleis exſiliere vadis.
Velatique comas, nixique liquentibus urnis,
  Carminibus fluctus ſuſtinuere ſuos.
Victor iö, Boldrine: tuis ego debita rebus
  Flaminiâ ſtatuam fixa tropæa viâ.
Defigam tumulo quercum: tremet illa ſub armis
  Quæ feret, & magni nominis arbor erit.

10 Piccininus à corporis brevitate nomen acceperat.

Hor-

Horrefcet uertex galeâ: rutilantia pectus
  Æra tegent, enfis, parmaque fulva latus.
Adjiciam titulum: HÆC CAPTO DETRACTA TYRANNO
  BOLDRINUS PATRIÆ DEDICAT ARMA SUÆ.
Talis erat, cùm pro patriis Thrafybulus Athenis
  Stearet, & Actæâ pelleret arce nefas.
Talis erat, cùm poft actos in vincla tyrannos
  Timoleon niveis inveheretur equis.
Et cineri nondu m quifquam follemnia mittit?
  Flaminiâ nondum fervet arena viâ?
Nec tuba commiffos cecinit Mavortia ludos,
  Victorefque domum palma reduxit equos?
Fungere Boldrini foboles pia, fungere jufto
  Munere: fic illum te juvet effe fuam.
Viveret ô utinam, cui nuper [11] Creta fepulcrum,
  Et titulum virtus partaque fama dedit!
Ille animis impleret equos, plaufuque juvaret,
  Trojanumque fuo duceret agmen avo;
Duceret & fratri, cui nunc funebria mecum
  Solveret, hic belli munera, carmen ego.
Hei mihi! carmen ego, non hic, Fernande, dolores
  Solatura tuos folvere jufta poteft.
Invidit Mars illa tibi: fortiffima fternit
  Prima ferè: fegnes eximit ipfe timor.
Quid queror? ecce tibi, quanta eft, Romana juventus
  Ferre laboranti velle videtur opem,
Et tibi follemnes, mortis folatia, pompas,
  Et tibi Trojano ducere more choros.
Et tibi jam fedem ripâ Tiberinus amœnâ
  Difpicit, acclivi quà viret umbra jugo.

Huc

11 Jofephus Rondininus, Natalis noftri frater, in Cretâ cum Turcis pugnâ congreffus, gloriosè occubuit.

Huc venies, Fernande: tuo moderabere nutu
  Omnia: tu curſus ſigna ſecunda dabis.
Tu præſens animos & vim certantibus addes:
  Dum placeant, illis tu ſatis unus eris.
Munera dein capient à te ſua: forſan & illos
  A Muſis cupies altera ferre meis.

IDEM

*IN EFFIGIEM*

# FERDINANDI

Epiſcopi & Principis Paderbornenſis & Coadjutoris Monaſterienſis,

*Penicillo Theodori Caſpari Lib. Baronis de Furſtenberg, Canonici Moguntini & Spirenſis, fratris, affabre depictam, & in æs inciſam.*

DUm, FERNANDE, Tibi nuper plauſêre Quirites,
  Dictus Alexandri, dictus es Urbis amor.
Nunc etiam Imperii Paderæque mereris amorem,
  Diceris & PATRIÆ, quam regis, eſſe PATER.
Et Cæſar Scythico cùm ferveret Auſtria bello,
  Te vidit trepidis addere rebus opem.
At populis, qui Te nunquam vidêre, videndus,
  Et, quod quiſque Tibi debet, amandus eras.
Creta videre velit, quoties Tua dona recenſet,
  Quo vultu, quâ ſint illa profuſa manu.
Repperit ars fraterna modum: Te pinxit, & orbis
  Te fruitur. ſic Te, quem videt, orbis amet.

JOAN-

# JOANNES BAPTISTA

Turricellius Patavinus

## FERDINANDO FURSTENBERGIO

*Canonico Paderbornensi & Hildesiensi, S. D. Bononiæ* M. DC. LIV. *prid. Kal. Augusti.*

SIqua mei te cura tenet, seu forte requiris
  De reditu, & nostræ quæ nova causa moræ est:
Cœnomanis reducem, placido quà Minicus amne
  Eridani lentè flumina vasta subit,
Felsina me excepit, studiis notissima pacis,
  Dives opum, pingui Felsina nota solo.
Quid juvet at miserum? curæ cui mille recursant,
  Quem pariter vitæ tœdeat, atque viæ?
Frangitur adversis animus, fata aspera semper
  Scilicet expertus, difficilesque Deos.
Sic vitiata malis jam membra labantia febris
  Occupat, & sævus concutit ossa rigor.
Jam subit exardens æstus, jam corpore toto
  Sudor, ut apricâ liquitur Alpe gelu.
Sirius urebat terras, crebróque coruscans
  Tractibus immensis igneus axis erat.
Me sitis, atque ipso graviùs medicamina morbo
  Angere, me falso nulla sopore quies.
Sæpe viis tristesque tubæ, perductaque lesso
  Funera me fati commonuere mei.
Vatibus & sacris num prosit inania Phœbi
  Munera, Pierias & coluisse Deas.
At nondum infensæ Parcæ mihi pulla trahebant
  Pensa, nec instabat tristior illa dies;
Quâ precor hæc, saltem lacrimis excepta meorum
  Ossa piis, patriæ restituantur humo.

Nunc verò incolumem rurſum me ludere nugas
  Blanditiâ adduxit Calliopea ſuâ;
Dum nimis immites æſtus Marathonia virgo
  Temperet: Etruſcam detque redire viam.
Tu cœlo interea frueris, FERNANDE, Latino,
  Scilicet & nobis invidioſus agis;
Non tibi quod radios Nemeæi mulceat aſtri,
  Quæ Laribus ſacrum ventilat aura nemus:
Nec quod Gaurano, vel Etruſco palmite miſſa
  Pocula, ſeu vario frigida odore bibas.
Nec quod te rapiat molli teſtudine cantor,
  Orphea, quin blandas vincere doctus aves:
Aut tibi Phidiaci referens miracula cæli
  Bernini occurrat vividus arte lapis.
Aleáve ancipitis pugnæ, cum mixta virorum
  Agmina, & adverſos Roſa colorat equos.
Non his afficior: careat nam maxima Roma
  Omnibus, illa mihi ſuſpicienda foret,
Dum colat hanc Latiæ decus aulæ, Urbiſque voluptas
  Chiſius: hic alias unicus æquat opes.
Cui ſiquando meum obſequium teſtabere: votis
  Tunc dabis & fato candidiore frui.

## JOANNIS DE BUSSIERES
### E SOCIETATE JESU
### EMBLEMA.

Velum navis cum remo,

*Et lemmate Ferdinandi Epiſcopi & Principis Paderbornenſis, Coadjutoris Monaſterienſis.*

SUAVITER ET FORTITER.

FORTITER incumbens remo, vada cærula navis
  Findit, & in mediis verbere regnat aquis.

SUA-

SUAVITER expaſſis vehitur ſuper æquora velis;
Nauta vacat ſomno, dum volat acta ratis.
Præſul utrumque imples, dum munia fortiter urges,
Commiſſumque gregem ſuaviter inde regis.
Sic Samaritanus mordaci vulnera Baccho
Abluit, & ſucco Palladis ægra fovet.
Sic bene paſcis oves, dum virgâ ad paſcua ducis;
Dum ductis nuſquam lympha vel herba deeſt.

## JOANNES ROTGERUS TORCKIUS,

Præpoſitus Mindenſis, & Canonicus Paderborn. & Monaſterienſis,

## AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

*De ſeceſſu Tiburtino.*

O Jucunda quies! ô blanda papavera ſomni,
Et pia Lethæis frons medicata vadis!
Callida nocturnas oculis properare tenebras,
Dum mediis cælo ſol calet altus equis.
Vidimus hanc tacito tua ſpargere tempora ſucco,
Et geminas unâ condere nocte faces.
Fuſus eras, memini, vitreas Anienis ad undas,
Curva quibus gelidum vallis opacat iter.
Officioſa ſalix Phœbi ſummoverat ignes,
Pictaque nativum ſtruxerat herba torum.
Denſa ſoporifero nutabat ſilva ſuſurro,
Miſcebantque leves amnis & aura jocos.
Et volucrum liquido ſuetarum fluminis alveo
Mille dabant varios guttura mille ſonos.
Talis in Actæis juvenis Theſeïus umbris
Concidit, hirſutos ſternere feſſus apros.

Talis & avectum sopor est complexus Iulum,
  Didoni strueret cùm Venus alma dolos;
Et benè cognatos simulante Cupidine vultus
  Idalias premeret languidus ille rosas.
Ast ego nunc amnem, tua nunc vigil ora tuebar:
  Nunc in Callimachi versibus omnis eram:
Nunc mihi fingebam maturas solibus uvas
  Ad gelidos fontes prætereuntis aquæ,
Purpureosque avido ducebam gutture succos.
  Sæpe mihi tales dent mea fata dies.
Quærat avarus opes, petat ambitiosus honores:
  Sit procul à tanto nostra furore quies.
Quid, miser, auriferi medio tibi proderit Hermi
  Gurgite Tantaleam semper hiare sitim?
Quid Siculas valles, montique propinqua Vesevo
  Mille boum gemitu vertere rura juvat,
Horrea si crescens tibi rumpit & ilia messis,
  Teque simulque tuas arca flagellat opes?
Aurea sollicito tibi spumant pocula Baccho,
  Et vigiles noctes lectus eburnus habet.
Prisca quies tacitis nemorum se condidit umbris,
  Et colit angustos vita beata lares.
His mea pauperies populo secreta latebris
  Regales animo divite vincet opes.
Sed neque longævis nemoralis Aricia lucis,
  Nec liquido cepit me vetus Alba lacu,
Inclyta Romulidûm quondam Præneste voluptas
  Nunc sitit, & nudis horret ubique jugis.
Explicat urbanos opulentia Tuscula luxus,
  Sed nimiâ adscitus displicet arte decor.
Tiburis Herculei nobis juga candida rident:
  Stat mea judicio, Flacce, Camœna tuo.

Hic

Hîc veniunt ſegetes, veniunt feliciter uvæ:
 Autumno hîc gravidus divite gemmat ager.
Hîc non falſa ſuis oleagina ſilva colonis
 Palladios colles & juga ſumma tenet.
Ipſa quoque aſperitas, & rupibus inſitus horror
 Temperat ingenium deliciaſque ſoli.
Quid loquar, ut nitidas Anio pellucidus undas
 Volvat, & electro purior arva riget!
Jamque vago curſu & lapidosâ exercitus irâ
 Mollior Herculeos lambere geſtit agros,
Et veluti flabris criſpatum lenibus æquor
 Compoſitæ repens otia ludit aquæ:
Cùm ſubito lapſu barathrum ruit omnis in imum,
 Condendum inferno jam Phlegethonte putes.
Rorantes canâ latrant aſpergine cautes,
 Et furit horribili ſpuma Aniena ſono.
Mox vaſto exeſi ſorbetur montis hiatu,
 Præcipitatque trucem per cava ſaxa fugam.
Trunca jacent ripis ſæcli monumenta vetuſti,
 Et premit informes alta rûina domos.
Hæc Mæcenatem ſpirant, hæc rudera Flaccum,
 Rudera Pieriis deveneranda ſacris.
Hîc illa imperio Romani par lyra mundi
 Subdidit Italico carmina Graia jugo.
Hac obſcura ſpecu ſtimulante Sibylla caleſcens
 Numine fatidicum ſæpe canebat epos.
Excitus hiſce adytis venit in præcordia vatum
 Fervor, & acceptis ignibus oſſa calent.
Parte aliâ vaſtæ ſemeſa cadavera molis
 Sparſa per Argeos conſpiciuntur agros:
Quâ tua magnanimâ labor improbus arte coëgit,
 Fucine, per dociles ire fluenta vias:

Aufus & obftantis perrumpere vifcera montis,
Roma peregrinis ut frueretur aquis.
Hîc utinam æftivos liceat mihi condere foles,
Vefanus Latios cùm leo torret agros!
Icariique canis vapor atrox incubat Urbi,
Et ducunt mœftæ funera crebra viæ.
Hinc reducem, inverfo fignis pluvialibus anno,
Excipiat modico Roma beata lare:
Et procul à ftrepitu fumoque volubilis aulæ
Claudantur tacito gaudia noftra finu.
Sic placidis annis, & amœno carperer ævo,
Et fluerent niveâ ftamina noftra colo.
Sed quid agis? tibi vana mifer quid fomnia fingis?
Quid rapido jactas irrita verba Noto?
Te fua Hyperboreus revocat fub plauftra Bootes,
Sæva Lycaonii te manet axis hiems.
Sæpe dies folidos patriis pulfabere nimbis,
Sæpe rigens glacie vel nive canus eris.
Cocta Ceres Tiburtino fuccedet Iaccho,
Spumofaque cadet fæce peremta fitis.
Parva queror: fugimus Phœbumque novemque Sorores,
Et mea Pegafeus deferet ora latex.
Jam mihi Perrhebi nemora evanefcere Pindi,
Jam dubius condi nube videtur apex.
Caftaliis mihi trifte Vale jam redditur antris,
Mœftaque fupremæ vocis imago redit.
Nubiferas gradiar fine te, FERNANDE, per Alpes,
Dimidiaque animæ parte carebo meæ.
Quaque facras vidi quercus, montefque moveri,
Me linquet Clariæ vox tua mifta lyræ.
NATALIsque tui cultiffima Mufa Latinas
Quàm procul heu noftrâ tendet ab aure fides!

Docta

Docta FAVORITI nobis mutescet arundo,
Tritaque bucolicis labra canora modis.
Fata reluctantes rapiunt, ducuntque volentes:
Non moror, austeram sponte vorabo viam.
Vos remanete, quibus pronâ fors annuit aure
Molliter in gremio posse cubare suo.
Vivite felices, ævumque agitate serenum,
Quæque vehit vestras, provehat aura rates.
Divus ALEXANDER, Superûm justissima cura,
Orbis amor, Romæ vita decusque suæ,
Vincit ut eloquio, sic Nestora vincat & annis,
Utque beat juvenes, vos beet ipse senes.
Me mea fata trahant, casus retrahantque per omnes,
Me ferus Arctoo demetat ense furor.
Me petat ipsa suis glacialis rictibus Ursa:
Lætus ALEXANDRO sospite cuncta feram.
Cumque severa meos evolverit Atropos annos,
Lætus ALEXANDRO sceptra tenente cadam.
Sospite ALEXANDRO mea molliter ossa cubabunt,
Atque favilla levi nostra premetur humo.

## EJUSDEM ODE AD FERDINANDUM

### Electum & confirmatum Episcopum & Principem Paderbornensem.

*Ne artem Poëticam fortunæ ac dignitati suæ indecoram existimet.*

QUalis in fulvo peregrinus auro,
Splendor Eoi lapidis coruscat,
Et repercussum tremulo lacessit
Lumine Phœbum;

Talis augusto in solio renidet
Fœdere insigni sociatus altis
Barbitos sceptris, & Apollinari
Insula lauro.
Gaudet argutæ fidibus Camœnæ
Læta Majestas, gravidamque curis
Explicat frontem, populosque blande
Temperat ore.
Largus ingentes animare grandi
Spiritu Heroas, Deus ipse Regum
Corda facundos agitante vates
Concitat æstu.
Testis insani domitrix profundi
Principis magni lyra, fabulosi
Thracis irridens remorata pronos
Carmina rivos,
Quæ per undosum sine fraude Pontum,
Calle siccato, solidos utrimque
Vitreâ muros imitante lymphâ,
Mille phalanges
Duxit, & rursum coëunte fluctu,
Nereum sacrâ feriente virgâ,
Obviis hostes temerè insecutos
Obruit undis.
Sensit horrendo furiatus œstro
Fila Jessææ cytharæ Tyrannus
Sæpe pacato pepulisse sævum
Pectore Ditem,
Fila regali modulata dextræ,
Quâ Giganteæ data plaga fronti,
Quâ Philistæo cecidere fusæ
Pulvere turmæ.

Gen-

Gentis ô noſtræ Pater atque Princeps,
Sanguis Heroum, geniale ſummo
Perge ALEXANDRO, ſenibuſque ſæclis
Pangere carmen.
Invidi dentes canis, irritoſque
Sperne latratus, velut obſtrepentes
Attidum nidis reſonans canoris
Sylva paludes.
Dum Quirinales tibi, Tuſculæque
Annuant lauri, Paderæque flavus
Tybris, & præceps Anio, Thetiſque
Omnibus undis
Plaudat, & Phœbus *juveneſque Muſæ*,
Horridum bellis, & adhuc calentem
Sanguine Arctoo, atque iterum ruentem in
Prælia Martem
Dulcibus captum modulis amœnâ
Valle reclinent, ubi ſæva blandus
Tela furetur ſopor, ac inermes
Vinciat artus.
Sic Tibi puri ſine nube ſoles,
Sic ALEXANDRO nova ſæcla priſco
Rideant vultu, domituſque Romam
Mundus adoret.

# EJUSDEM ELEGIA
## AD
## FERDINANDUM
*Episcopum & Principem Padibornensem, Comitem Pyrmontanum,*
## DE
## ACIDULA PYRMONTANA.

Colle sub umbroso patulis quæ prosilit arvis
  Pyrmontana tui me tenet unda soli,
Unda salutiferis irrorans haustibus artus,
  Et jecoris rabidam nata levare sitim,
Fæcibus & lentis tumidum expurgare lienem,
  Esuriemque pigro reddere ventriculo,
Corporibus morbos, animo depellere curas,
  Parcarumque breves sistere docta colos.
Miramur rapidum generosi fluminis œstrum,
  Et murmur resonans, vimque furentis aquæ,
Cui ferrugineus vapor incubat, ac velut æstu
  Ignis inardescens, frigida lympha micat.
Crederet Ætnæos tibi, Nympha, subesse caminos
  Ignotum carpens forte viator iter.
At mihi dulce gelu per viscera perque medullas
  Serpit, & incluso liberat igne jecur.
Talis erat prisco sæclis fulgentibus auro
  Captata innocuâ lympha beata manu,
Cum lucri furor, ac dominandi sæva libido
  E Stygiis nondum prosiliisset aquis;
Nativas cum sylva dapes, humus herbida somnos
  Præbuit, & faciles antra dedêre lares.

Hîc

Hîc quoque nonnulla est ævi melioris imago,
Cultus & antiquis mos reviréscit avis.
Est procul hinc luxus, fatuæque superbia vitæ,
Oblita est blandos aulica Suada dolos.
Obsidet hic nullus Magnatum limina fastus,
Sustinet exiguâ Dux habitare casâ.
Aurea libertas pictis spatiatur in arvis,
Et caput attollit semisepulta fides;
Rident prata, nemusque, serenus ridet & æther,
Candidus & læto ridet in ore jocus.
Dulcis, ave, Fernande, tuis à fontibus: hic Te
Promptior irriguo gutture Musa canet.
Hic Aganippæos videor mihi ducere succos:
Hunc tetigit campum Bellerophontis equus.
Fontibus Aönides gaudent vatesque canori,
Musa quoque in fontes ingeniosa tua est.
Quis caput Amisii, Paduli quis nosceret undas,
Si tua pro Nymphis muta Camœna foret?
Marmora docta tibi nascentia flumina debent,
Flumina carminibus nobilitata tuis.
Attamen imber edax abolebit, & atra vetustas
Marmora: posse mori carmen & unda negant.
Sit tibi carminibus, sit par tibi fontibus ætas,
Ut tibi vena fluit, sic tua vita fluat.
Vena fluit placido dulcique simillima rivo,
Currat inoffenso vita beata pede.
Vena potest vivo minùs exarescere fonte,
O utinam vitæ lex foret illa tuæ!
Sed quia lethiferi stant jura adamantina fati
Aurea Te serus vesper in astra vehat.

DE

DE EODEM

## AD FONTEM MELLITUM

## ACIDULÆ SMECHTANÆ

*In Diœcesi Paderbornensi.*

FOns in umbroso venerande luco,
Jam diu Phœbo sacer, ac Saluti,
Qui levas fessum jecur, & palato
Mella propinas
Atticis longè potiora succis,
Quos per Hyblæos studiosa colles
Turba formosi populata florem
Condidit anni.
Montis intonsi decus & voluptas,
Cujus extremo pede, bullienti
Prosilis æstu gravis è metalli
Divite vena;
Principem serva mihi FERDINANDUM,
Patriæ Patrem, tua concinentem
Nobili plectro, tua mella pleno
Ore bibentem.

## JOANNES VVISSE

Attendoriensis E SOCIET. JESU

AD

## FERDINANDUM

*Episcopum & Principem Paderbornensem*, *die* S. URSULÆ *Virgini & Martyri sacro*, XXI. *Octob. An.* M. DC. XXVI. *feliciter natum.*

HAc Lucina die te gignit provida terris,
Quâ subit æthereos URSULA virgo polos:

Ut,

Ut, ſimul ac terris cœpiſti vivere, vivat
In cælo vitæ magna patrona tuæ,
Componatque tuos meliùs diva URSULA mores,
Quàm fingit catulos Sarmatis URSA ſuos.
Quos licet integris lingat, fingatque diebus,
Fingit ad exemplum bruta magiſtra ſuum,
Deformes vultu, pede pigros, ungue rapaces,
Et formidando rictu, oculoque truces.
Aſt tibi divino felicior URSULA fato
Impendit nutrix blanda miniſterium.
Te docilem, gnavum, facilem, comem atque benignum,
Muſarum & Charitum finxit ad ingenium.
Hinc neque tela tibi puero placuêre, nec enſes,
Nec venatricis cornua rauca DEÆ.
Retia nec volucrum, neque naſſa, nec ære recurvo
Hamus piſcoſis prædo timendus aquis;
Sed liber, atque labor, pax, & mens conſcia recti,
Et pudor, & caſtæ relligionis amor.
Hæc puero tibi ludus erant: his acta juventus:
Horum aderit vigili cura ſuprema ſeni.
VRSA FEROX catulos gignit, fingitque FEROCES:
DIVA SUI SIMILES URSULA VIRGO VIROS.

## EJUSDEM

## AD EUNDEM

*Strena Cal. Januarii An.* M. DC. LIX.

PRô tibi quot ſacris Jani, Fernande, calendis,
Magnificis verbis muneribuſque vovent,

Cur-

Currat ut auſpicio tam læto haud degener annus,
Multiplicentque tuos fata ſerena dies!
Quid faciam? cui, læva ſuis fortuna negatis
Deliciis, vacuam fecit hiare penum.
Non ibi capta gemit volucri cum Phaſide perdix,
Nec caput Ætoli cum ſue Certat apri:
Maſſica nulla fluunt, triplici neque cæcuba clavi
Servantur vetulis condita vina cadis.
Omnia deficiunt, quæ ſi fortuna dediſſet,
Digna foret PATRIÆ pro PATRE ſtrena mihi.
Nunc vacuas palmas, & inanes porrigo chartas,
Quas bona mens verbis fert comitata bonis.
Hac pauper vacuæ ſupplebo munera dextræ,
Et velut ex cornu divite fuſa feram.
Indus Erythræo mittat de littore gemmam:
Nobilius gemmâ, Mens bona, munus erit.
Quantùm gemma luto diſtat, mens candida fuco;
Tantùm hæc una omnes ſtrena præibit opes.
Nam bona res non eſt, quam poſſidet, & dat, & aufert
Qui malus eſt. hanc tu ne refer inter opes.
Una eſt è multis, Bona mens, poſſeſſio: quam non,
Qui malus eſt, aufert, ſolus habetque bonus.
Hanc cape ſis, Fernande: Tibi nam munere Divûm
Rara, bonam mentem quæ capit, Arca domi eſt.

## EJUSDEM

## AD EUNDEM,

### *De Morte* ALEXANDRI VII. *Pont. Opt. Max.*

VIxit Alexander, charum caput Urbis & Orbis:
Heu! FERNANDE, animæ portio magna tuæ!
Vixit

Vixit Alexander, passis Elegia capillis,
Ut Progne, querulis ora resolve modis:
Per ripam Amisii, per rura vagare Visurgis,
Mœstaque lugubri pectora plange manu.
Fons Paderæ doleat, doleat lacrymosus Aliso:
Deque suis fundant flumina luminibus.
Funus Alexandri, & Fernandi, heu! ducitur unum:
Parti animæ nescit pars superesse suæ.
Alter in alterius vivens hærebat amore:
In morte amplexum strinxit uterque suum.
Mors nequiit gemini nexum dissolvere cordis:
Major germano vis in amore fuit.
Ergò in Alexandri est Fernandus corde sepultus:
Urnâ non poterat nobiliore capi:
Quam simul ac tetigit, tactâ hæc vox abstitit urnâ;
FERNANDUS MEUS HIC VIXIT, ET HIC SITUS EST.

## EJUSDEM

## AD EUNDEM

*Varia antiquitatis monumenta per Diœcesin Paderbornensem erigentem.*

QUot latè ad Paderam, vicinaque mœnia, & arces,
Ad nemora, & fontes, templa, sepulcra, lares,
Marmorei surgunt cippi, & Te authore loquaces
Incisis referunt sæcula prisca notis:
Tot monumenta Tibi magis ære perennia surgunt,
Tempori, & irato prævalitura Jovi.
Ingenium, nomenque tuum, FERNANDE, nec ipsi
Manes, nec quæ sunt marmora muta, tacent.

JO-

# JOANNIS UNGSPECK,

## Arensbergensis, Canonici Præmonstratensis Propempticon

## AD

# FERDINANDUM

## FURSTENBERGIUM

*Romam proficiscentem. An.* M. DC. LII.

IBis Romuleas jam cognitus hospes ad arces,
O generis antiqui decus!
Præclarisque atavis melior, Fernande, propago,
Quem docta nascentem sinu
Excipiens Pallas, nequicquam ignara futuri,
Toto rigavit flumine.
Nec te iter immensum, terræque pericula terrent,
Quæ plurima insuetus feres;
Nubibus insertas donec superaveris Alpes.
Tu verò propositi tenax
Ibis, easque precor, veteris miracula Romæ,
Et decora visurus novæ.
Tantum ex infami fugitivæ plebis asylo
Populis triumphatis caput,
Prævidit DEUS omnipotens: victricibus armis
Ut, quos subegerat priùs,
Extremos latè terrarum denique fines
Sacratiore Numinis

Im-

Imperio regeret, fasceſque æquaret Olympo.
Hîc multus inter arduos
Reginæ tumulos Urbis, doctiſſimus olim
Antiquitatis arbiter
Cominus intento luſtrabis lumine muros,
Cruore conſperſos Remi.
Fortiùs hîc Brenno Capitolia celſa ſubibis,
Nil proditores anſerum
Jam metuens cantus: erit & quandoque voluptas
Priſcis notatas arcubus
Effigies ſpectare ducum, fractoſque Sicambros,
Pœnóſve, non fidum genus.
Quod ſi etiam Latiæ torrentia flumina Suadæ,
Totóque regnantes foro
Marcos aſpicies, ſacra vel veſtigia viſes
Seceſſum amantis Virgili,
Tum quis enim trepidos quatiet calor entheus artus?
Quos tibiæ dabunt ſonos?
Qualis Threïciæ cantu teſtudinis Orpheus
Aurita ſiſtit flumina,
Emotaſque rapit ſylvas; aut tempore verno
Ramis ſub arborum ſedens
Expedit artificem Philomela ad carmina linguam,
Carumque deplorans Ityn
Occupat attonitas aures non ſimplice Suadâ:
Sic te Latini divites
Fundentem eloquii rivos, doctoque moventem
Fides amicas pollice,
Aſpicient tacito mirantes ore Quirites.
Et immemor ſuetæ viæ
Hærebit numeris ſtupefacto flumine Tybris.
Seu Martios iterum tubâ

Concelebres LECHOS; fatalia nomina Thraci:
Seu CHISIANAS Lesbio
Extollas plectro QUERCUS, dignosque Tibullo
(Non Te alter huic propinquior)
Decantes Elegos, & cedro digna loquaris:
Non fallet expectatio.
Ipsæ etiam tali gaudebunt carmine dici
Orbis potentes insulæ.
Perge igitur Fernande, tuus quo te rapit ardor,
Per alta montium juga.
Nil tibi inaccessum: terras superevolat omnes
Tuus ille pernix Pegasus.
Magna inter doctos jam de te fama Quirites;
Ignotus haud certè advenis,
Si non visus adhuc. Sic te præcurrit euntem
Felicis ingenI vigor.
Perge bonis avibus, facilis bene spondet Olympus,
Et ille fortis Aliger,
Qui Tobiam quondam per mille pericla secutus,
Ubique dilecto comes
Hærebit lateri, patriasque reducet ad oras
Lauro revinctum debitâ.

## EJUSDEM

## AD EUNDEM.

DUm nobis docto transmittis munere Romam,
Noscitur è tumulis quanta fuisse suis,
Quanta recens æquatve suas, vincitve ruinas,
Tot Divûm melius splendida culminibus.

Et Tiberim pavidum subiti formidine Martis
Alloquii mulces nobilitate tui;
Aut CHISIAM celebras non impare carmine Musam,
Dum rursus notos involat illa sinus.
Haud miror, plaudens stupeat quod talia Roma,
Et rediisse sibi sæcula prisca putet.
Sat patet Aöniis hæc te dictasse viretis,
Bellerophontei quæ rigat Humor equi.

# LUCAS HOLSTENIUS

Bibliothecæ Vaticanæ Custos primarius,

AD

# FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX. *Cubicularium intimum, Ratisbonam legatum, ut Eminentissimo Cardinali de Wartenberg, Episcopo & Principi Osnabrugensi & Ratisbonensi purpureum pileum imponeret.* *An.* M. DC. LX.

NOn mihi suppressos thesauros strangulat area,
Nec censum reditu divite fœnus alit;
Sed nummis vacuum levis implet aranea saccum,
Nec latus occulto pondere zona gravat.
Ingenium mihi fundus, opes & sarcina libri,
Et temerè sparsis illita charta notis.
Quocirca, Fernande, boni nunc consule munus,
Pauca profecturo si folia ista damus.

Hoc utcunque ferant venti, vel diluat imber,
Sub nostro hærebit pectore fixus amor.

# MARCUS ANTONIUS MENICONIUS,

Perusinus, Eques Hierosolymitanus,

AD

# FERDINANDUM FURSTENBERGIUM

ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX. *intimum Cubicularium.*

QUale mihi nuper, juvenis clarissime, munus!
Munus Apollineæ quod peperere manus.
Quale decus Charitum! quæ donas plena lepore
Carmina, qui canitur, Principe digna suo:
Principe Alexandro, cui tantum sæcula debent,
Sæcula pacatis aurea temporibus;
Quantum olim Augusto debere est visa vetustas,
Cui plausus vatum mille dedêre chori.

# NATALIS RONDININUS, ALEXANDRO VII. P. O. M. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES, FERDINANDO FURSTENBERGIO,

*Musas Philomathis juveniles auctiores cultioresque in lucem proferenti.*

TAndem revisunt aureum jubar solis
Musæ Philomathis: gratulentur, & plaudant,
Queis & labores, & pericla, quæ terris
Marique subeunt, aut severa curarum
Lyrâ subinde tibiâque solari
Incessit ardor. Quem sequantur, hîc cernunt.
Hæc ille, seu dum præliantibus fertur
Per alta ventis, quà fretum Cyclopeis
Fervens cavernis astra verberat fluctu,
Seseque mox resorbet & suas iras:
Sive arduis dum nubibus caput cinctas
Nivibusque numquam non jacentibus canas
Volat per Alpes: fessa namque votorum
Europa cursus urget, atque opem poscit:
Hæc ille, dum Mars fas nefasque permiscet,
Unáque pestes ceteræ diem invadunt,
Et clade tumidus decolorque [i] Vistillus,

 Albis-

i Vistillus idem qui Vistula Plinio lib. 4. cap. 14.

Albisque, & uno haud nomine in mare irrumpens
Miratur ire Rhenus haud suos fluctus,
Et spes in illo magna nititur pacis:
Hæc ille, tanta mente dum sedet moles,
Hæc ille cecinit, sicubi fatigatum
Suis sub antris frigidaque lucorum
Umbrâ virentûm recreavit Euterpe,
Seu Dorium quid, sive Barbarum mallet.
Sed ille, curas fallere, ac sibi tantùm
Intusque gaudens canere, nil petens ultrâ,
Non puncta famæ, pollicesque laudantûm,
Feliciumque præmium libellorum,
Imbuta cocco lora, regias chartas,
Pictum umbilicum, luteamque membranam,
Araneoso jusserat situ turpes
Latere, tenebris abditos inaccessis
Tot elegantis ingenI sacros fœtus.
Heu dura patris jussa! tam legi digna,
Tam læta cultu Musa, tot venustatum,
Tot & jocorum non nocentium mater
Sic delitescat involuta deformi
Silentio, noctesque carpat æternas,
Squalens, iners, ignota? Non tua id sivit,
FERNANDE, pietas, indolesque Phœbeas
Attollere artes nata, cui, poëtarum
Plaudente cœtu, literarios fasces
Submittet olim Roma, quæque nunc profers
Debebit ordo serus eruditorum.
Tu namque patris atque Apollinis plenus
Suis latebris erutæ sinum pandis,
Fœdaque primùm temporum levas tabe,
Dein & nitorem, & gratiam, & decus formæ

JUVENILE adauges, & frui jubes cælo.
At vos edaces, noxium genus, blattæ,
Abigenda longè lævibus lues chartis,
Alibi repostam quærite in cibum prædam;
Seniumque turpe pascite, aut putres libros,
Quos rugæ, & ætas, & situs fatiscentis
Capsæ peredit, aut teredinum morsus.
Perennitatem Phœbus his licet Musis,
Triplicesque canum spondeant Deæ nomen,
JUVENILE numquam concidet decus formæ.

## NICOLAUS HEINSIUS
### DAN. FIL.

## FERDINANDO
### FURSTENBERGIO,

*Dum hortos Tibure Estenses unà cum Heinsio perlustrat, aquarum hinc inde è terra per occultos tubos prosilientium vi subitâ præter expectationem circumvento & consperso.* *An.* M. DC. LII.

LUstrat Atestinos dum Furstenbergius hortos,
Quà natat irriguis fertile Tibur aquis;
Ecce repens prorumpit humo, vatisque disertum
Os petit, & Clarios lympha dolosa sinus;
Fallor? an exegit per hiantis viscera terræ
Non exspectatas obvia Naïs aquas?
Dum decus Aöniis hoc invidet illa Deabus,
Et premere amplexu gestit inepta suo.
Thiodamantêus non est puer, improba, non est;
Hos sibi Calliope vindicat alma sinus.

Supprime, Dædalei custos lasciva vireti,
  ( Nil agis insidiis, perfida Naï, tuis )
Supprime fallaces, Anieni filia, lymphas.
  Non nisi Castaliis ille rigandus aquis.

## EJUSDEM AD EUNDEM ELEGIA.

*An.* M. DC. LII.

SIc, fidibus quæcumque cano credenda Latinis,
  Fama velim facili combibat aure memor;
Et sero Lethæa rogo post fata supersint;
  Muta meam mecum nec tegat urna chelyn;
Quæque patet pronâ tibi Castalis obvia ripâ,
  Se quoque libandam præbeat unda mihi:
Gaudia succurrunt ut nulla frequentius istis,
  Quæ de convictu sunt mihi nata tuo.
Una domus, mens una duos sociabat amantes,
  Et chelys alternam non semel una manum.
Quas grates, Tiberine, tibi, quas, Roma, pararim?
  Vos mihi tam cultum conciliastis ebur.
Sæpe diem, quam longa fuit, sermone peractam
  Duximus æstivi sæva sub ora Canis.
Sæpe supervênit properatâ nocte diurnus
  Lucifer, alloquiis invida stella meis.
Ausa nec admisso succumbere lumina somno:
  Garrula vix solitas ora tulere dapes.
Vocibus ô quoties Latonia conscia nostris
  Cum se proriperet, visa venire mihi est!
Filius id Thetidis fuit Actoris ante nepoti:
  Id Phryx Euryalo Nisus & ante suo.

Mu-

Mutua certabat concordia, mutuus ardor.
  Hæc mihi lis tecum ſola perennis erat.
Hæſit in ambiguo pulcræ pia palma palæſtræ:
  Neutraque pars vinci, vincere neutra tulit.
Perſtet, & abſentes par jungat nexus amicos;
  Vinculaque ætatem non labefacta ferant.
Pondera ne votis deſint ſua faxit Apollo;
  Auſpice quo nobis hic adolevit amor.
Spumea nos Anienis aquam per ſaxa ruentem,
  Plurimus illiſo qua tonat amne fragor,
Nos unà dominæ ſenium luſtravimus urbis;
  Priſca ſuburbani nos monumenta ſoli.
Tybris amicitiæ fuit arbiter, ille duobus
  Contiguo cultos alluit amne lares.
Proxime, dic, ſociis, Tiberine, penatibus, eia;
  Pectora, dic, tetigit ſanctior ecqua fides?
Dic, ſi voce mei vox blandior ulla ſodalis
  Per vada ſtagnantes flava moretur aquas.
Hanc certè è patrio Tiberinides amne ſequuntur,
  Plaudit & argutis Naïas uda ſonis.
Ipſa etiam hanc pronis bibit auribus Ilia vocem,
  Ilia quam Marti tam tibi grata parens,
At colle ex omni lætùm vaga ſuccinit Echo,
  Nec gemere Iſmarium jam memor ales Ityn.
Ah quanto tua me, Tiberine, beatior unda eſt!
  Vatis Apollineo cui datur ore frui.
Tu modo fac ſacrum ſerves, pater optime, Muſis,
  Quod tibi Teutonico venit ab orbe, decus.
Me nunc ad patrios promtum tenet ire penates
  Gallia Romuleæ nomen adepta togæ.
Hic ubi Medoacum Euganeis modo collibus ortum
  Intuor; aut Atheſin, docte Catulle, tuum.

Tu quoque Virgilium quæ Phœbo lympha dedisti,
Fatidicæ Mantûs lympha beata, trahis.
Aut electrifero qui volvitur amne per agros,
Me Phaëthontêi detinet unda Padi.
Unde ego nubiferam perrumpere molior Alpem,
Et nive canentis scrupea terga jugi.
Interea decus ille meum, meus ille sodalis
Quidnam agit? herboso num fovet umbra sinu?
Margine dum solitæ citharam moderatur in undæ,
Et canit æterni numine digna loci.
Mulcet an auratæ testudinis illice cantu
Chisia purpureos Musa decora sinus.
Ipsa fidem vicina neci cui cessit eburnam
Maxima Pontificis dextera, Phœbe, tui.
Urbanus nunc alter, agro nova gloria Tusco,
Pïëriis claram civibus ornat humum.
Hunc meus ille sui veneratur Apollinis instar;
Huic terit, huic Clarias obsidet usque fores.
Quicquid aget, memori non excidit Heinsius ore.
Jam satis expertam novimus ante fidem.
Dum loquor, aërïæ salebrosa cacumina rupis
Pænè meos tangunt, mox superanda, pedes,
Care vale, Fernande viam meditamur: eundum est,
Me rigor Alpinæ jam premit, ecce, nivis.

STE-

# STEPHANUS GRADIUS, ABBAS SS. COSMÆ ET DAMIANI, PATRICIUS RAGUSINUS. AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

*De Musarum dissidio cogitantem.*

*An.* M. DC. LIV.

SUmme Deûm, sævi domitor Pythonis, Apollo,
  Fatidica quem Delos suum,
Quem Cyrrhæa vocant, Pataræaque culmina regem
  Certâ timendum cuspide;
Quemque novem doctæ, Parnassia turba, Sorores,
  Triplex & ambit Gratia.
Ad curas hominum precibus si flecteris ullis,
  Vatem tuorum fontium,
Aöniæque decus telluris, ab usque remoto
  Rheni petitum litore,
Ut Latium, utque ipsos linguæque togæque Quirites
  Docto admoneret carmine,

Ne

Ne patiare tuis, Musarum ac dulcibus ulnis
  Divina mitis ingenî,
Et studiorum aliò spectanda avertere dona.
  Sit proprius in castris tuis
Miles, seque tuis æternùm exerceat armis,
  Omnemque lucem nomini
Inde suo, laudemque petat, famamque decusque:
  Quamvis avitus inclytæ
Non alium magis ornet honos, & gloria gentis,
  Nec plura quisquam imaginum
Lumina Saxonicos numeret decorantia fastos.
  Ne desidere inglorium,
Neu cessare velis juvenem, quin divite venâ,
  Tuo & benigno numine
Utatur, seu facta gravi regumque ducumque
  Narrare tendat carmine,
Threïciaque avidos testudine fallere morsus
  Oblivionis invidæ:
Seu leve quid gracili modulari malit avenâ,
  Seu dulciore barbito
Jam nunc vernantis florem oblectare juventæ,
  Severiora differens.
Quin age cunctanti ( quod jam meditatur, & imo
  Dudum volutat pectore )
Egregii ut laudes FABII præclaraque facta
  Ventura doceat sæcula,
Adde animos, sacrâque feri præcordia flammâ.
  Dicat serenæ in arduis
Rebus mentis opes, curisque ingentibus æquum
  Stabilis vigorem consili,
Quo Latium, quo res Italæ, quo Maximus orbis
  Superbit INNOCENTIUS.

Dicat inexhauſtum ingenium, moreſque benignos,
  Nec purpuræ quicquam ſuæ
Debentem, & propriâ virtutem à luce coruſcam.
  Dicat profanæ impervium
Pectus avaritiæ, nulliſque obnoxia corda
  Cupiditatum fluctibus,
Atque animi intrepidas inter ſublimia vires:
  Nec litterarum & artium,
Nec cultæ ſileat rariſſima munera linguæ;
  Sive expedita vinculis,
Nataque ad humanos placeat facundia cœtus;
  Seu debita Superûm auribus
Verba Meduſeæ manantia fontibus undæ.
  An clariorem carminum
Uſquam alibi ſegetem poſſit laudumque parare,
  Elatiore aut ſpiritu
Impulſas animare fides, famæque perenni
  Servire glorioſiùs?
Annue Phœbe, ſacrique animis illabere vatis.
  Sic ſemper æthera incolas:
Sic tibi nulla genas fœdet lanugo, nec umquam
  Deſit capillis laurea.
Dumque canis trifido cæſos Titanas ab igne,
  Patris triumpho turgidus,
Cuncta tibi Superûm plaudant convivia, teque
  Diu ſtupentes audiant,
Fruſtra jactatos referentem in ſidera montes:
  Nec hauriant libentiùs,
Quæ ſibi nectareo Phrygius rorantia ſucco
  Fundit miniſter pocula.

EJUS-

# IDEM
## De artocreate Britannico;
## AD
## FERDINANDUM
## FURSTENBERGIUM
## ALEXANDRI VII. P.O.M.
*Cubicularium intimum:*

CUm Tibi de tetricæ ſtudiis, Fernande, Minervæ
Mollia languebunt olim præcordia: ſi non
Aſpernaris ab Oceano miſſa uſque Britanno
Romanum ad luxum pinguis præcepta culinæ;
Accipe languenti quâ poſſis arte palato
Conſulere, & ſtomachi faſtidia vincere inertis.
De lactentis adhuc primùm cape clune juvencæ,
Hœdique & leporis dorſo, quæ in fruſta minuta
Conciſa, & liquido diluta abdomine porcæ,
Jure natent, grandis pullus quô ferbuit, & quod
Bubula diffuſis unxerunt oſſa medullis.
Accedant, turris tibi quas, corſque ima volucres
Educat, atque alis, & pelle, & pectoris alba
Carne dapem ſaturent; teneros ante omnia lactes
Adde memor, ſeu ſint agnis, ſeu mollibus hœdis
Avulſi, tereti nec te ficedula lumbo,
Nec te flaventi coturnix uda ſaginâ
Prætereat; terræ deſint nec tubera, ſi quæ
Provida non parcis ſtrinxêre tonitrua cœnis,
Cum pipere, & Siculæ dulci cum pulvere cannæ.

Hæc

Hæc tu cuncta simul cautè, circumque, supraque
Eductæ in cameram Cereris testudine claude,
Ovis, ac tenui molitus crusta butyro,
Et croco, & Eoæ fragranti cortice sylvæ.
Dein gravidam lento massam committe calori,
Angustò validus quem suscitet ignis in antro.
Excoctamque diu, multòque ardore rubentem
Extrahe, & in patinam compone, & sic properata
Inter amicorum lætos ede fercula cœtus.

## VITUS BERINGIUS
### DANUS
Regiæ Majestatis Daniæ historiographus,
AD
## FERDINANDUM
*Episcopum & Principem Paderbornensem.*

### Reverendissime & Celsissime Princeps, Domine benignissime.

NOn indignaberis, quod ignoti te alloquantur: Effecit virtus tua, & illa illustris supra seculi genium evecta indoles, ut latere nusquam gentium possis: non latius provectâ sacri muneris tui, quam scientiæ & doctrinæ famâ. Ego jam olim Romæ adoravi nominis tui celebritatem; jamque è medio Septentrione ad has Pyrmontanas acidulas delatus, offerrem coràm cultum animi, ni valetudo corporis obstaret. Quod unum potero, venerabor è longinquo famam tuam, cujus magnitudine reversus in patriam

patriam, implebo Danos meos, publico etiam ſcripto profeſſurus olim, quid Principi non tam Germaniæ quam doctrinæ omnis & humanitatis, Poëtarum natio debeamus. Fave interim, Celſiſſime Princeps, tam pio conatui, quodque ad magnitudinem tuam unicum jam ſupereſt, ſerò mortalitatem dedignare.

FUrſtenbergiade, priſcæ qui nomina Romæ,
Et quicquid jactat Græcia culta, tenes:
Cui calami jus omne ſuum tranſcripſit Apollo,
Et Muſæ poſitis obſtupuêre lyris:
Quid tibi cum lituis, & ſacræ ſorte tiaræ eſt,
Et meritum cingit quæ tibi mithra caput?
Nempe ut bis Princeps, Muſas modereris & aras,
Hinc hominum auguſtus rector, & inde Deûm.
Et tua perpetuis caneſcat gloria ſeclis,
Dum fuerit ſtudii, dum pietatis amor.

AD-

# ADOPTIVORVM
## CARMINUM
## LIBER SECUNDUS,

QUI

*VIRI ILLUSTRIS*

CASPARI FURSTENBERGII

Musas, & aliorum Poëmata Furstenbergiis inscripta, complectitur.

# CASPARI FURSTENBERGII,

## AVI,

*Archisatrapæ Westphaliæ & Angariæ, præfecti in Bilstein, Waldenburg, Fredeburg, Fritzlar, & Navvenburg,*

Moguntini, Coloniensis, & Paderbornensis Consiliarii intimi, Domini in Schnellenberg & Watterlapp. Advocati hereditarii in Graffchafft, &c.

*Viri, plurimis ad Cæsares, S. R. Imp. Principes, & Comitia legationibus, magnâ prudentiæ, fidei, eloquentiæ, & doctrinæ laude obitis, hoc & proximo superiori seculo celeberrimi,*

## GENIUS AULICUS.

Molliculæ procul este aures, nudi procul este
Osores veri. Sincero ludere Phœbus
Noster amat versu. Num celsa palatia pandam
Naribus, & Vatis Venusini digna lucernâ?
Sic juvat Aönides: sed quid non cognita vobis
Aggredior? vestro stat virtus ardua colle
Difficili per saxa viâ tentanda, neque illi
Fas est, aut vobis Regum sublimia tecta,
Auratasque subire fores. Helicona rigentem
Frigore, & hirsutas habitatis Apollinis arces.
Secula nostra novis, nova nostris moribus ætas
Imperat alternis. laus est ad tempora mentem
Vertere, & ad Zephyros diducere vela secundos.
Ut solet adverso volucris Junonia Phœbo
Gemmea laudatæ jactare volumina caudæ.

In vetulos non ſic ritus modò ſtringimur. abſit.
Arbitrii tibi jura tui; metamque nefas eſt
Sciano monſtrare Jovis Salmonea telo
Dejectum, currus auſum ſimulare tonantes.
Conſiliumne foris? vereor ne Numine vatum
Deſtituar. Juſtas præpoſtera facta querelas,
Numina rara cient. Verùm ſi Perſius atro
Carmine veſanos potuit ridere Quirites.
Anne ego? ſic quamvis non humectata fluentis
Labra Caballinis madeant. Solum mihi ſplenem
Cogit in effuſos bilis commota cachinnos.
Anne ego? ſi lævo bullatas lumine pompas
Obſervo, dextrum fatear, vel carmine prodam?
Scilicet Heroum fulvâ Rex Lydus in aulâ
Degit: at in quantum magno clamore Solona
Fumantem ante rogum teſtatus, atrocia Cyri
Imperia exorat, ſortem miſerantis acerbam.
Albane? tanta duces deceant? poſt terga relictos
Vivere conveniat ſecum? depaſta ſupellex
Aurea, detritæ chlamydes, & murice multo
Quæ rubuit toga pota priùs, nunc mille feneſtris
Lucet, & incurvo debet ludibria naſo.
Non genus antiquum Priami, nec nomina longa
Paupertatis onus tolerant, naturaque ſuadet
Conſona Siſyphios Irum ſenſiſſe lacertos.
Quò vocat ergo manus dives mercator, eamus:
Dona coacta dabit vix inſtitor hiſcere contra
Raptores auſus dominorum exempla ſecutos.
Si neque ſufficient anguſtis talia rebus,
Auxilio Cluvennus erit, qui præfuit olim
Militiæ, tacitoque æraria bellica furto
Diminuit, cujus propè mortem cauſa laborat.

Illi reddet opes, illi dabit Alpha ſalutis,
Et Themis in trutinâ ſuſpendet noſtra favorem,
Servatis ungenda bonis. Sic vivimus aulæ
Turba, Syracoſii jurati in verba Tyranni.
Poſt Catilina ſumus. turpem manet anxia culpam
Pœna, ſed in tanto diſcrimine cornea fibra eſt.
An ſileam? ſine fine dapes petit aula calentes
Sole peregrino, & Baccho devota parenti
Aſſiduis feſtiva ſcyphis Dionyſia vivit.
Cùm jam tecta recens pingit Tithonia, lex eſt
Non priùs, æthereum quàm tranſiit alta lacunar
Cynthia, & extenſo glutiti pondere clunis
Ventriculus veniam poſcit, ſecedere: pulchros
Dant ea fana jocos, vario clamore modoque
Ebria diſpoſitum menſæ gyrantur in orbem
Pocula, guſtatas quæ reddunt frontibus uvas,
Et Centaureo turgentia cornua faſtu.
Tantane, ſic agimus, nobis pater otia fecit?
Sint procul à nobis Curii, qui talia damnant
Orgia, potantem nec amant examen ad unguem.
Quàm pulchrum eſt digito monſtrari & dicier? Hic eſt,
Qui meruit primam Bacchi certamine palmam
Gemmatum cratera, ſcyphiſque capacibus omnes
Vicit, & epoto donatur Saxonis auro.
Victor at ille jacet vino ſomnoque ſepultus,
Multa canat quamvis tubicen, mediamque per urbem
Spectandum lectica vehat. cras uritur intus,
Et dolet obſcurâ malè caligantia nocte
Lumina fuſcari, totoſque labaſcere ſenſûs.
Tendis ad exitium. mictâ ſpeculatur in undâ
Hippocrates, craſſo quæ internos augurat æſtus
Aſpectu, & longos conſuevit prodere morbos.

Hic tibi Phœbe datur ſanie confectus inerti
Pulmonem, & lentâ vitiatus tabe medullas.
Nunc Epicureo ſpectemus de grege porcum,
A ſummâ qui venit harâ. jam proximus Orco
Extremam trahit ille animam. num craſtina vitæ
Tempora dant triſtes admoto pollice Divæ?
Sic vixiſſe juvat, ne nos vixiſſe propinquâ
Pœniteat metâ, ſapimus jam funeris horâ
Vicinâ, laniantque ream ſua crimina mentem.
Hoc Mauſolæo tegitur, qui Principis aulæ
Præfuit arcanis, & juris in arte peritus
Myſta refingendi, prudens, facundus, & alta
Nobilitate ſatus, rerumque politus ab uſu,
Conſiliis magnos inter conſedit Achivos.
Nulla fit hîc fidei, ſanctæ pietatis, & æqui
Mentio, quæ dudum fugêre palatia Regum,
Inque locum rediere nefas, ſimulatio, technæ,
Ambitus, impietas, livor, gula, crapula, faſtus.
Cernis ut ingenti felix programmate nigro
Scribitur in tumulo? nullâ qui parte beatus
Noverat hîc turbæ ſecuros ducere ſoles.
Parciùs iſta viros tangunt. Tu ſumma poteſtas
Turpis in exemplum ne fabula Sardanapali
Proſpice devenias. facti prudentia ſera
Gaudia rara feret. Sed quàm ferale minatur
Aſpera frons rugis? perit uno gratia verbo
Vitrea, & æternas pro munere commodat iras.
Dum mea felices implebant carbaſa venti,
Sceptra potente manu torquebam, & Principis Atlas
Alter eram, ſi forte graves dabat altera curas
Cura parens, noſtras nutu ſpectabat herili
Clitellas, tacitum vectans ſine pondere pondus.

Quid

Quid non ſuſtinui ſecreto Principis uſus
Pectore? perque nives gelidas & cruda vagatus
Frigora, Sarmaticas potui calcare pruinas,
Ire per exuſtam Libyen latrantibus aſtris,
Æquoraque inſano ridere tumentia fluctu.
Nunc miſer, ut gravius ruerem, ſublatus in altum
Icarus, ob verum mediâ ſublimis ab arce
Turbor, & in noſtros quæ conceſsêre favores
Fortunæ ſubitâ recidunt commota ruinâ.
Regia quæ magno patuit, nunc cardine moto
Ivit in amplexus unitis janua ſuris.
Non ego credideram, ſiquando odioſa Lycæ
Murmura, barbatos inter diffuſa magiſtros,
Ingenuis aulas vetuêre: at credere fas eſt
Experto, ſit vita tibi niſi dulcis amator.
Ah ruit irato metuendum fulmen ab axe,
Poſt denſæ veniunt altis ex montibus umbræ.
Dixit &, ecce minor noſtras qui nuper habenas
Audiit, imperii nunc faſcibus aſſidet. Eheu
Quis ſuperi! dolor eſt; & quæ dementia noſtro
Sic aliis ſapuiſſe malo. Num audire gementem
Plura libet? dicam ejectâ tibi vera ſalivâ.
Pro voto tibi cuncta fluunt. fortuna petitam
Invidiam legat. Miſer eſt, cui nomina deſunt
Obvia livori, tituliſque impleta ſuperbis
Charta capax. viden? ut vicinam figulus ollam
Carpat, & extractâ pungatur pauper ariſtâ?
Quando Giganteo ſurgunt tibi vertice criſtæ
Altiùs, exuviiſque Tyri, pictuſque ſuperbo
Murice, ventoſo titulorum ſolle tumeſcis,
Fervidus Herculeas ultra contendere Gades.
Inſidiis odioque peris, & ponè ſecutus

 Livor,

Livor, iners vitium, veſtigia prenſat euntis
Tramite præcipiti, velut umbra pediſſequa ſolis
Flammivomos ſectatur equos, profugumque colonum
Niliaco Crocodilus agro. tunc ergo doloſâ
Fronte fidem ſimulat, pectuſque oſtendit amicum,
Sed coquit exitium. mediâ latet anguis in herbâ;
Mente nigrâ, vapidoque ſinu vulpecula gannit.
Virtutis quoque præco tuæ ſpecioſus, honorum
Ludit in ampullis, & ſeſquipedalia verba
Eliquat. interea occulto mala vipera morſu
Te necat abſentem, moreſque arrodit iniquè.
Tunc ait, ô quanto diſcrimine, Maxime Princeps,
Conſortem regni pateris, qui deſpicit omnes,
Omnibus imperitat, tibi majeſtate ſecundus
Anne volet regnare diu.? nec ſceptra laceſſet,
Aut ſibi quæret ebur ſoli ? metuenda poteſtas
In tantas quæ crevit opes. exempla loquuntur
Publica, nec geminos patiuntur ſidera ſoles,
Cur habeat regalis apex ? cum cornua fratri
Æmula complevit Latonia, rurſus adempto
Lumine decreſcit; quæ vertice pulſat Olympum
Malus, ubi gravidis commiſit pondera ramis,
Quâ ſurrexit humo, rurſum curvata propinquat,
Autumno portando impar. his concita flabris
Suſpicio tacitos ſub pectore ventilat ignes.
Nec mora conceptis animatâ incendia flammis
Exundant, ruit immiſſo violentia fræno,
Ut Themin oblitus trutinantem è cortice nigro
Calculus exiliat. facilis ſuadela paratur
Credenti. Vana eſt ſurdo defenſio ſenſu.
Deſine corda Ducum flecti ſperare precando.
Hoc tamen ulterius digno præcordia motu

Miſ-

Miſcet, & infidâ vultum detorquet ab aulâ.
Spicula ſæpe novo trabeatos ſanguinis oſtro
Fœdatura Duces, & ſæva exempla tyranni
Suadet in innocuos, ac mille Calumnia clades
Virtuti demens, hoſtiliaque arma minatur.
Scilicet æquales merito penduntur honores,
Horrida cum mœſto ponuntur fercula talo,
Carcere clauduntur nati, tu carcere nati
Clauderis, & ſervo trahis ænea vincula collo.
Ergo age ſis, ſi non exemplo cautior uno
Redderis, an gemino volupe eſt condiſcere facto
Carnificem Regem, victriciaque arma ſecutum
Graiorum? prò rupta fides & fœdera Teucris!
Infandis Polydore modis, ob fulva metalli
Pondera depoſiti ſcelerato in littore funus
Obtruncate jaces. nunc temet conſule, quonam
Conſenuiſſe loco malis. minor anne voluptas
Privatas habitare caſas, quàm marmore fultam
Invito Jovis igne domum: tibi vivere toti
Quàm pingues lauto digitos ſuxiſſe catino,
Dum caput appenſum vereatur deſupèr enſem?
Si te ducit adhuc aulæ tamen ulla cupido,
Simius eſſe velis, ſcænamque paratus in omnem:
Si gemit ille gemas, ride ſi ridet, & eſto
Principe cum claudo Scazon, & Veſpaſiano
Stabis ſtante, licet doleas pede claudus utroque.
Hæc doctus paraſita, cave cane pejùs & angue
Principis imperio, cupidiſque obſiſtere votis;
Concilio nedum medio veſtigia veri
Sectaris, rectique vias, poſt funera Clytum
Te querar, aut Senecam. quoties heu! nantibus aulæ
Æquore in ambiguo, fuit una Malæa, tenaci

Obloquio turbasse Duces, meditata tueri
Est quibus ingenium, & stat pro ratione voluntas,
Et summum est tolerare sales, nec velle videri,
Quos si dissimulas animi est sententia prudens.
O si quid doctæ servas penetralibus artis
Unguibus arrosis dignum, vigilesque lucernas,
Et Demosthenei redolens palloris olivum.
Si te delectat numeris divina Poësis,
Quæ beat, & vulgo secernit, & ornat amantem,
Non vilis quondam, cum carmine digna gerebant.
Tutius occulto poteris gaudere cachinno.
Illa feres donec prorepseris altius, & post
Quidquid agis, prudenter ages, licet advena pecces.
Si quid ego statuam, quæris, cum vate paratos
Isacio capiamne cibos? magis illa saginant
Fercula, præcelsâ quàm quæ mittuntur ab Ollâ.

## EJUSDEM

## PRÆCEPTA VITÆ AULICÆ.

AUlai ter & amplius beatam
Audi quæ faciant, amice, vitam.
Primùm mente pia Deum timere
Par est, postea Principem vereri:
Jussus consule justa, veritati
Prudens simplicitas comes nec absit,
Sic non Achitophel notam mereris.
Et mandata tuere diligenter.
Si præsens tibi sors favet, futurum
Hunc ne perpetuum puta favorem.
Constat Principibus parùm voluntas.

Rarum

Rarum fac Jonathan mali levamen
Fidum consiliis adesse testem.
Clyti, & Tantalei memor laboris,
Fauces innocuo doma lupato.
Nescit dicere, qui tacere nescit.
Non noscenda tibi, nec illa noscas.
Sic Actæoniis vacas periclis.
Hosti nubilus, invido serenus,
Fidus fac Pylades sies Orestæ,
Adversis animosus, & secundis,
Æquâ tempora dividens staterâ.
Aulam non secus ac focum frequenta,
Vicinus satis, & satis remotus.
Addas his epigramma Martialis,
Quod sis esse velis, nihilque malis.

## EJUSDEM MONITUM

### *Ad amicum.*

Fide Deo, tua cautus agas, aliena relinquas,
Dissimules, &, sunt siqua ferenda, feras.
Tela venenatæ non cures invida linguæ,
Tuque tuam rege, dic pauca, tacenda tace.
Sic placidos curret facilis tibi vita per annos,
Et dabit oranti fata benigna Deus.

# ARCUS TRIUMPHALIS ECTYPON

*Reverendißimo & Illuſtrißimo Principi ac Domino*

## D. THEODORO

Paderbornenſis Eccleſiæ Epiſcopo S. R. Imperii Principi.

*In veſtibulo Academiæ* THEODORIANÆ *erecti, cum Poëtica Lemmatum & Emblematum exegeſi. Auctore Friderico Rörigh è Societate Jeſu.*

## DEDICATIO.

FUrſtenbergiadûm genus alto à ſanguine Princeps,
  Qui magni DONUM diceris eſque DEI.
Si vel juſſa novos hominum ſibi ſumere vultus
  Parerent ſcalpro marmora dura meo:
Signa vel è noſtris naſcantur ahenea formis:
  Vel noſtro raſum pollice vivat ebur:
Jam pridem Auſoniis non impar arcubus arcus
  Alta triumphali fornice ſaxa premat,
Quem ſuper emineat rutilanti diſcolor auro
  Inter purpureas crux veneranda Trabes,
Cæteraque in numerum vario ſpectanda colore
  Furſtenbergiacæ ſtemmata priſca domus.
Cum quibus arguto certans emblemate ſculptor
  Cælaret Phariis myſtica ſenſa notis;

In

In quîs virtuteſque tuas, atque inclyta facta
  Poſtera venturo tempore ſæcla legant,
Quæ nunc immenſum vulgavit fama per orbem,
  Quà rubet exoriens emorienſque dies.
Sed neque dura meo manſueſcunt marmora ſcalpro,
  Nec ſpirant noſtris ænea ſigna focis:
Et mea tam magnis fortuna paratibus impar
  Me prohibet ſtudio morigerare meo.
Nec tamen idcirco metuo, mitiſſime Princeps,
  Ne tuus hæc ſpernat qualiacunque favor.
Nempe ubi deſtituunt conantem grandia vires,
  Conatus merito non caret ipſe ſuo.
Nam ſi dura meo non parent marmora ſcalpro;
  At parent calamo mollia verba meo.
Non poſſum lapides, ſed poſſum ſculpere verſus;
  Æraque ſi nequeo, fundere metra queo.
Ergo ſed incultis malè ſtructum verſibus arcum
  Sacravit famæ noſtra Thalia tuæ.
Perlege, ſi tanti eſt, PATRIÆ PATER, optime Princeps,
  Quâ mea jam pridem carmina fronte ſoles.
Materies tua geſta mihi, tua gratia merces,
  Et virtus color, & gloria lumen erit.

IN-

# INSCRIPTIO.

## PRINCIPI THEODORO

A Deo electo Antistiti Paderbornensi,
Pio, Sapienti, Vigili PP.

*Quod conditâ*

PAULI V. PONT. MAX.

ET

MATTHIÆ I. CÆSARIS

Auctoritate

THEODORIANA *Academiâ, religionem & bonas artes in Westphalia adversus Errores, & Barbariam æternis sepserit armis.*

COLLEGIUM ACADEMICUM

*Ejus Celsitudini devotum*

L. M. P.

Ad Insignia Reverendissimi & Illustrissimi Principis Theodori.
S. Hieronymus ad Celant.

*Summa apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus.*

*Illibata nobilitas.*

QUod genus illustri Heroum de sanguine ducis
Et fulges priscis clarus imaginibus;
Illa quidem certè laus est non infima, verùm
Est ea laus ATAVIS debita tota TUIS.
Quod multos opibus, multos quod honoribus anteis:
Esse hæc fortunæ munera vulgus ait.

Quod

Quod tibi mens longâ viget illibata senectâ
  Cum referant puras tempora cana nives,
Blandaque facundo Majestas ridet in ore:
  Scis à Natura talia dona dari:
Sed quod te nec opes, nec honores, nec genus inflant,
  Quod potius generis Tu genus ipse tui es,
Et potes ipse tuis præferre Minoribus illam,
  Quam tibi Majores antetulere facem,
Hæc tua laus tota, hæc laus est Tibi propria Princeps,
  Laus cum supremo non moritura die.

## EMBLEMA. I.

*Vera fides.*

*Sol unicus orbem universum irradians.*

Ad Ephesios IV. vers. V.

*Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

TE pollere fide, Princeps fidissime, certum est:
  Quando tuæ Fidei res facit ipsa Fidem.
Nam si facta Fidem Fidei concordia produnt,
  Ni tua vera Fides, sit mihi nulla Fides.
Ergo tuæ Fidei Fidei bene credita cura est,
  Quæ Fidei fidam præstitit usque Fidem.
Mille Fides hodie, Fidei discrimina mille:
  Totque Fides inter vix tamen ulla Fides.
Plus Fidei à Domino poscebat Apostolus olim.
  Ah Fidei in nostro si foret orbe minus!
Ut, velut in toto lucet Sol unicus orbe,
  Unica sic toto luceat orbe Fides.

EM-

1 Adauge nobis fidem Luc. 17.

# EMBLEMA. II.

*Doctrina salutaris.*
*Cœlum ſideribus variegatum.*

Daniëlis XII.

*Qui ad Juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

QUalia nocturno palantia ſidera cœlo
  Ducunt noctivagas per freta cæca rates:
Sic THEODORE tuis, ad cœli lucida templa
  Aut verbis monſtras, aut teris ipſe viam.
Tu ſacras aperiſque ſcholas, aperiſque profanas,
  Inſcia tu noſtrâ pectora voce doces.
Cum tenet aſtantem Cathedralis concio turbam,
  Ipſe tuam noſtrâ ſuppleo voce vicem.
Tu teneris animis pietatis ſemina mandas,
  Et veræ fidei non ſinis eſſe rudes.
Alloquio mœſtos, operâ ſolaris egentes,
  Auxilio miſeros conſilioque juvas.
Tu cunctabundos ſtimulis non mollibus urges:
  Tu pigros lento non ſinis ire gradu.
Tu malè diſcordes concordi fœdere jungis,
  Per te compoſitâ jurgia pace ſilent.
Quæ licet & noſtro fatear patrata labore,
  Sunt tamen auſpiciis cuncta patrata tuis.
Nam quodcumque facis ſtudiove operave Tuorum,
  Hoc verè, quamvis non facis ipſe, facis.
Jure Tuis igitur ſidus lætabile fulges,
  Sive gerenda doces, ſive docenda geris.

Jure

Jure inter reliquas, cæleſtia lumina, ſtellas
Æterno rutilans tempore ſidus eris.

## EMBLEMA III.

Modeſtia animi de ſe ſubmiſsè ſentientis.

*Olea baccarum ubertate curveſcens: ariſtæ gravido culmine terram ſpectantes.*

S. Bernardus Sermone XIII. ſup. Cantic.

*Magna & rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere* (virtutem),*mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare; hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico.*

MAgnum eſt ſi magnus magnum ſe neſciat eſſe,
Et ſe vix minimis judicet eſſe parem:
Si de ſe ſileat, totus quem prædicat orbis,
Quemque niſi ingratus, nemo ſilere poteſt.
Si, quæ magna geris, ſoli tibi parva videntur,
Extenues verbis ſi tua facta tuis.
Si laudem fugiens præſtes digniſſima laude,
Si veniam, grates cum mereare, roges.
Cumque omnes vincas, vel certè æquaveris omnes,
Judicio cunctis ſis minor ipſe tuo.
Improba ſi ſtolidi ſpernas arbitria vulgi,
Contentus ſoli geſta probare Deo.
Nulla, niſi in cœlis, meritorum præmia ſperes,
Et populi ſpectes commoda ſola tui.
Hoc magnum eſt, inquam, pulchrum, mirabile, rarum;
Et tamen hoc magnum Tu, THEODORE, facis.

# EMBLEMA IV.

Misericordia in pauperes..

*Agricola sementem faciens cum inscriptione,*

## PERDENDO RESERVO.

Matthæi vj. cap.

*Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt.*

Condita nocturni spoliant æraria fures,
Absorbet gravidas mercibus unda rates.
Improbus abjurat totam cum fœnore sortem,
Remque simul perdit debitor atque fidem.
Vinea sperantis frustratur vota coloni,
Credita vix mendax semina reddit ager.
Quæ modò finitimas tangunt pallatia nubes,
Bellicus in cineres vertere turbo potest.
Stipatam tineæ populant in scrinia vestem,
Textaque Mæonia nobilitata manu.
Urit congestas Vulcanus in horrea messes,
Tam multis possunt parta perire modis.
Hoc solum in tuto est, quicquid donatur egenis.
Quas istis dederis semper habebis opes.

S. Augustinus lib. 50. Hom. 29.

*Non pereunt quæ Christo dantur, alia vero quæ non dederis, & abundant tibi, aut cum vivis amittis, aut cum moreris, dimittis.*

# EMBLEMA V.

Liberalis parſimonia.

*Labrum perennis aquæ fonti ſuo ad libellam reſpondens cum lemmate,*

PARSIMONIA MAGNUM VECTIGAL.

Theodoricus Gothorum Rex apud Caſſiod. Variar. 7. Epiſt. 17.

*Munificentiam noſtram nulli volumus extare damnoſam, ne quod alteri tribuitur, alterius diſpendiis applicetur.*

NOn à Memnoniis aurum tibi navigat Indis,
Non ab Erythræis eruta bacca vadis:
Nec pia frugiparæ rimatus viſcera matris
Decolor effoſſas congerit Aſtur opes.
Non te Pactolus, rutilis non fluctibus Hermus,
Fulva nec auriferi ditat arena Tagi.
Non tua longinquas adeunt commercia gentes,
Non gravidæ ſulcant æquora vaſta rates:
Non tua privatis creſcunt æraria damnis,
Non prædas ſub te Principe Fiſcus agit.
Non tibi vexati, rureſtris turba, coloni
Contribuunt lachrymis æra rigata ſuis.
Non tibi ſubſidii ſpecioſo nomine tectam
Congerit, ut mos eſt, patria juſſa ſtipem.
Hæc quoque, quam placidâ Princeps ditione gubernas,
Haud ſanè immodicis finibus ora patet:
Et tamen in tantos Tua res tibi ſufficit uſus,
Et re non magnâ, maxima quæque geris:
Ædificas, renovas, emis, auges, inſtruis, ornas,
Templa, aras, arces, prædia, rura, domos.

Nomina diſſolvis, fundas Collegia, ſacris
Debitus ære tuo conciliatur honor:
Impenſis erecta tuis Academia ſurgit,
Surgit honoratæ fabrica celſa ſcholæ:
Altare è Phario conſtructum marmore candet,
Candent artifici ſigna polita manu.
Quid memorem veterum ſcripta immortalia Patrum
Noſtra quibus floret Bibliotheca libros?
Quæque piis avidas mulcent concentibus aures,
Per tot inæquales organa ſtructa tubos?
Quæ quoties ſonuére, tuas, THEODORE, Deique
Flexanimo laudes dulciter ore canunt.
Nemo tibi donat, nemo non accipit à Te:
Tu nulli, & debet patria tota Tibi:
Quis rogo Te, Princeps, Fortunæ rivus inaurat?
Quæ Tibi inexhauſtas gaza perennat opes?
Magnum eſt vectigal parvo frugaliter uti,
Sumptibus & juſtum præſtituiſſe modum.
Nec modico pennas majores tendere nido,
Nec proprii modulum dememíniſſe pedis.
Hoc virtutis opus ſit; multis ſic dare multa;
Ut multa à multis poſcere non ſit opus.
Obſervat prudens hanc Munificentia legem:
Ne quod dat meritis, auferat immeritis.

Cicero 2. de offic. *Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manum inferre coguntur: nec tanta ſtudia aſſequentur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerint.*

E M-

# EMBLEMA VI.

Clementia in victos.

*Leo homini prostrato parcens cum elogio,*
HOMO HOMINI DEUS.

Cicero pro Q. Ligario.

*Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando.*

ROma quod innumeris peperit sibi Martia bellis,
  Sive ea gesta solo, sive ea gesta salo:
PARCERE SUBJECTIS, ET DEBELLARE SUPERBOS,
  Symbolon asciscas hoc Tibi jure licet.
Supplicibus parcis, frangit tua dextra superbos,
  Quàm pia dextra bonis, tam metuenda malis.
Extorsit justum, non justa rebellio, bellum;
  Justa sed invitâ corripis arma manu.
Utque salutiferis fidens Podàlirius herbis,
  Facta recens blandâ vulnera mulcet ope:
Ast ubi vicinos cœpit gangræna per artus
  Spargere lethiferi semina cæca mali,
Sævitiâ miti, clementi percitus irâ
  Utiliter ferro sævit, & igne furit.
Lanea sic lento librans vestigia passu
  Non nisi post longas surgis in arma minas;
Tum quoque (sed frustra) testans hominesque Deumque
  Ad veniam patulas fontibus esse fores.
Nec cunctata diu dubiis Victoria pennis
  Ancipiti traxit prælia lenta morâ.
Nimirum stolidos solitus contundere fastus
  Pugnavit causâ pro meliore DEUS.

Hîc tua victricem clementia temperat iram,
Exuis in victos arma odiumque simul.
Prima dies bellum, belli dedit altera finem:
Nec tua quàm bellum longiòr ira fuit.
O quantum est rapidi successu Martis ovantem
Vindictæ cupidas abstinuisse manus!
Quàm grave anhelantes animi compescere motus,
Quem dolor admotâ torret utrimque face!
Vertit enim in sævum patientia læsa furorem,
Et quæ tarda venit, fortiùs ira premit.
Tu quasi non hosti sed bellum indixeris iræ,
Sic illum victor protegis, hancque premis.
JUSTITIA eduxit gladium, PRUDENTIA rexit,
Condidit actutùm spicula pacis amor.
Stringere, Magnanimi; Clementis, ponere ferrum;
Civibus afflictis parcere, Patris erat.
Ergo armis victusque tuis virtutibus hostis
Te simul est Dominum fassus, & esse Patrem.
Quò quisque est major, magis exorabilis ira est,
Et fovet offensas mens generosa breves.
Corpora transiliunt animosi strata leones,
Pugnaque dejecto protinus hoste jacet.
Ast imbelle genus crabronum ignava propago,
Et læsæ furiis immoriuntur apes.
Res rara est, justum bellum & victoria clemens:
Res est rara quidem, sed, THEODORE, tua est.
Nam tua vel victo victoria profuit hosti,
Et nocuit soli (si tamen) ista tibi.
Sed, puto, non nocuit; quæ te frænare rebelles,
Atque animum docuit posse domare tuum.
Tam gravis exiguo compressa est sanguine flamma,
Huic quoque parsurus, si licuisset, eras.

Sed

Sed tam crudele est cunctis, quàm parcere nulli,
Et sæva est pietas, quæ miserendo nocet.
Jure igitur duplex circùm tua tempora frondet
Bellica pacatæ juncta corona Mitræ.
Hostibus hæc domitis, servatis civibus illa,
Pulchriùs illa viret, blandiùs ista nitet.
Illam Astræa tibi, Clementia texuit istam,
Phœbeis illa è frondibus, ista Jovis.
Ista Sacerdotem decet, & decet illa Dynastam,
Civibus hæc AMOR est, hostibus illa TIMOR.
Crede mihi magnos superant hæc gesta triumphos,
Laudibus hæc quondam postera sæcla ferent.
Scilicet una homines æquat Clementia Divis,
Hinc Deus esse homini dicitur alter homo,

## EMBLEMA VII.

*Sol in horologio scioterico duodecimam lineam tangens, cum lemmate,*

ALTIOR, INVIDIAQUE MAJOR.

Plutarch. in Moralib.

*Uti sol si immineat hominis vertici, aut prorsum tollit umbram, aut minimam reddit: sic ingens gloria extinguit invidiam.*

NUlla dies unquam tam læto sole refulsit,
Quin fuerit clari luminis umbra comes,
Nullaque tam magno surrexit gloria plausu,
Invidiæ ut sævo libera dente foret.
Sol tamen ut minimas altissimus efficit umbras;
Sic minùs invidiæ gloria summa patet.

# EMBLEMA VIII.

*Ignis undique fumo obsessus cum scito Reverendissimi & Illustrissimi Principis,*

## JUDICIUM MELIUS POSTERITATIS ERIT.

Plutarch. in Moralib.

*Flammam primum emicantem multus comitatur fumus, qui quidem evanescit jam convalescente & explicante se flammâ; sic res egregias aggredientem initio multa premit invidia; donec aucta gloria invidiæ fumum discutiat: nam fumus gloriæ, invidia est.*

ASpice ut obsessus densis ramalibus ignis,
Dum sensim vires colligit ipse suas,
Obscuros nigrâ subtexat nube penates,
Altaque fumosos volvat ad astra globos.
Expecta: mox discussâ caligine, victrix
Crispabit tremulas flamma corusca comas.
Sic nam nascentis solet incunabula Famæ
Livor iners nebulis obtenebrare suis.
At tua jam geminos virtus penetravit ad axes,
Et clarum toto sparsit in orbe jubar.
Quamvis Cimmeria livor tegat omnia nocte;
Luminibus tamen haud obstruet illa Tuis.
Si tamen Invidiæ præsentia tempora sordent;
JUDICIUM MELIUS POSTERITATIS ERIT.

## EJUSDEM ELEGIA,

QUA

*Reverendissimo, & Illustrissimo Principi,*

# THEODORO,

Præsuli vigilantissimo, Domino Clementissimo,
Vindici fortissimo, Instauratori munificent.
Pio, Felici, Pacifico,

## PATRI PATRIÆ,

*Diœcesis Paderbornensis per annos triginta & quod excurrit sapientissimè gubernata, bonisque omnibus cumulata.*

L. B. M. GRATIAS AGIT.

CARE PATER PATRIÆ (sit enim fas nomine vero
Sive tuum studium sive vocare meum),
Jam dudum Oceano meritorum mersa tuorum,
Et tam multimodis facta beata bonis,
Gestio conceptis testari gaudia verbis,
Quæ memori pridem condita mente gero,
Utque pio meritas promam Tibi pectore grates,
Ingenii totos explicuisse sinus:
Postera ne sæclis olim labentibus ætas
Arguat ingrati criminis esse ream,
Sed simul ac dictura oculos attollere cœpi,
Casta verecundus purpurat ora rubor,
Mens hebet, ars hæret, refugit vox, ora gelantur,
Vincta repentino frigore lingua stupet.
Qualis in angustis luctans siphonibus humor
Festinando suum sæpe moratur iter,

Fervet in obſtructis lymphæ vis incita venis,
Egreſſumque ſibi, dum petit, ipſa negat.
Perque arctas magno nitens molimine fauces,
Unda ſibi ipſa moram, non patiendo, facit.
Sic mihi denſa ſeges, ſic torrens undique laudum
Anguſtum vocis copia claudit iter.
Nam quæ prima ſequar tantarum exordia rerum?
Quod mihi principium, quis mihi finis erit?
[1] Anne quod errorum ſpiſſis erepta tenebris
RELLIGIO victrix tollit ad aſtra caput?
Relligio liquidis quæ cœli è fontibus hauſta,
Sidera non dubiâ ducit ad alta viâ.
Lingua mihi intonuit MAGNI quam ferrea KARLI,
Dum pia pro CHRISTI numine bella gerit.
Indomitoſque ſacris compellit Saxonas armis
Barbara cœleſti ſubdere colla jugo.
Quam mihi inhumanâ profugus feritate Quiritum
Tertius, elingui tradidit ore, LEO.
Hæreſis at dudum Stygiis prorupta cavernis
Impia in adverſum ſumpſerat arma DEUM.
[2] Monſtrum horrendum, informe, cui IGNORANTIA mater,
Et FASTUS pater eſt, SEDITIOQUE ſoror,
LIBERTAS nutrix, RIXÆ comitantur euntem.
JURGIAQUE evulſis ſanguinolenta comis:
Illius armigeri FRAUDES, MENDACIA, TECHNÆ,
Et ſacris inhians fœda RAPINA bonis.
His illa auxiliis, illâ ſuccincta phalange
Auſa erat æterno bella movere DEO.

Hinc

1 Orthodoxa Religio in integrum reſtituta.
2 Miſera rerum facies cum ad gubernacula Princeps vocaretur.

Hinc fera barbaries, ruptiſque licentia frenis
Fas omne in vitâ miſcueratque nefas.
Plebs miſeranda ſui Paſtoris prodita fraude,
Errabat ſævis obvia præda lupis.
Nec ſoliti templis indicebantur honores,
Feſtaque deſierant ritè vetuſta coli,
Calcabat ſanctas victrix audacia leges,
Jura dabat cæcus pro ratione furor.
Verùm ubi TE votis hominum expugnata piorum
Admorunt ſacræ fata benigna MITRÆ,
Cana FIDES rediit, rediit PIETASQUE, PUDORQUE,
Et malè neglectis debita cura ſacris,
Ornatus templis, dignatio reddita Myſtis,
Moribus integritas, Legibus obſequium.
Ad ſua palantes revocatæ ſigna KALENDÆ,
Certior ut ſacrum curreret annus iter.
Impia Libertas rigidis compreſſa lupatis,
Præmia fas, dirum eſt pœna ſecuta nefas.
Ferrea inaureſcens ſtudiis melioribus ætas
Falcigeri retulit tempora priſca ſenis.
Atque, ut ubi roſei tenerum jubar exſerit oris,
Et ſola lucifluo terrea fonte rigat,
Humida decedunt venienti nubila Phœbo,
Complicat & furvos nox inamœna ſinus,
[3] Monſtraque per cæcas impune vagata tenebras
Cogit in aſſuetos lux rediviva ſpecus:
Haud aliter ſimul ac Tu Relligionis avitæ
Æthercam celsâ promis ab arce facem,
Concita diffugiunt bipedum portenta luporum
Sive tuo gladio territa, ſive pedo.
Hic ſe præcipiti deturbat ab aggere ſaltu,
Et pavidus, nullo terga premente, fugit.

3 Pravorum dogmatum ſatores juſſi faceſſere.

Ille

Ille parùm pedibus tanto in discrimine fidens
Lassa per obstantes brachia jactat aquas.
Thesea magnanimum plenis veneratur acerris
Attica probroso libera terra jugo,
Qui Labyrinthæos ausus penetrare recessus
Semivirum forti perculit ense bovem.
Ast ego, funestis, Te Vindice, libera monstris,
Ægiden veneror TE, THEODORE, meum.
TE primùm rabiem caulis arcente lupinam
Desiit innocui carnificina gregis.
Tu sparsos artus laceri conquiris ovilis,
Tu per tesqua vagas devia cogis oves.
Pascua Tu monstras riguis lætissima lymphis,
Hìc ubi perpetuo gramine vernat humus.
Tu rapidos æstus viridi defendis in umbrâ,
Torrida siderei dum furit ira canis.
Tu mala Pœoniis cohibes contagia succis,
Saucia Tu medicâ corpora mergis aquâ.
Nec pudor est ægram manibus tractasse bidentem,
Nec collum fessæ supposuisse pudor.
Nempe ille ante oculos Pastor TIBI semper oberrat,
Qui propriâ caras carne saginat oves.
Illa TIBI vacuam crebrò vox personat aurem,
Et nunquam oblito labitur ex animo:
Siquis amor nostri memori tibi pectore flagrat,
Hunc pascendo meos exere, Petre, greges.
Ergo dum stabili fundata Ecclesia rupe
Ridebit Stygias non labefacta minas.
Dum CHRISTI assertus Numen venerabitur Orbis,
Dum quis erit veræ relligionis honos.
Hæreseon hostem, Fidei, THEODORE, Patronum
Te canet æternâ posthuma fama tubâ.

Hæc

Hæc tua inocciduâ florebit gloria laude
  Clara futura solo, clara futura polo.
[4] Longævamne canam per terna decennia PACEM
  Copia quam cornu divite larga beat?
Haud procul hinc ferro Mavors bacchatur & igni:
  Nullà mihi somnos classica pulsa fugant.
Squalent finitimi fœdis populatibus agri:
  Me tamen in dulci Pax fovet alma sinu.
Flava Ceres fortes cogens ad signa colonos
  Militiâ ferrum distinet omne suâ.
Densa per incanas cædes grassatur aristas,
  Prataque gramineâ florida strage natant.
Casside in emeritâ molitur aranea casses,
  Frugiferam placidus vulnerat ensis humum.
Splendent attriti glebâ stridente ligones,
  Martiaque in tenebris exedit arma situs.
Neve quies ullo violetur publica motu
  [5] JUSTITIA exerto pervigil ense cavet.
Latrones procul hinc, procul hinc vos tollite fures,
  Et quisquis rapto vivere dulce putat.
Nil vobis, moneo, THEODORO Principe, tuti est:
  In vos mansuetas non habet ille manus.
Ille mei ad clypeum qui Principis excubat ensis,
  Sontibus exitio est, præsidioque probis.
Nec vos vel precibus, pretio vel fidite, culpam
  Strenua non tardo mox pede pœna premet.
Hoc vetera, hoc vobis monumenta recentia narrant,
  Quæ passim medio plurima rure patent.
Pendula ab arboribus, radiisque implexa rotarum,
  Debita carnivoris corpora vulturibus.

At

4 Pax & publica tranquillitas omni ope conservata.
5 Justitia pacis publicæ inexorabilis Vindex.

[6] At ſi quis tardas monitis adverterit aures,
Sentiet illa ſuo vera fuiſſe malo.
Teſtis BECA NOVA eſt, tuus eſt BENHUSIA teſtis
Nunc quoque prædonum ſanguine pinguis ager.
Cùm graſſatorum florentes ære catervas
Lux improviſæ dedidit una neci.
[7] Ipſe adeò è cœlo ſumptis Vincentius armis
Tam pia præſenti prælia juvit ope.
Ille & lymphatos egit terroribus hoſtes:
Et rexit noſtrâ ſpicula miſſa manu.
Mutant fata vices, & amico Numine, præda,
Qui prædaturus venerat, ipſe fuit.
Plurima victrici ſternuntur corpora ferro,
Plurima Juſtitiæ victima cæſa litat.
Impia pullati duxerunt funera corvi,
Et ſaturi leſſum concinuere canes.
Nunc quoque tranſverſim Cerealibus obvia ſulcis
Sæpius agricolas oſſa morantur equos.
Inde tibi, PRINCEPS, plaudunt Urbeſque, Viæque,
Ruraque, quod ſævo cuncta timore vacent.
TE canit intrepidâ nocturnus voce Viator,
Obſcurum tuto cùm pede carpit iter.
TE recinens patulâ paſtor reſupinus in umbrâ
Securas longo carmine mulcet oves.
Te canit in molli projectus gramine meſſor
Ad vitreas Paderæ leneſluentis aquas.
Ergo iterum pacis PAX aurea ſuſcitat artes,
Et redit ad ſolitos muſica turba choros.
[8] Ergo iterum, Phœbo reſtim ducente, Camœnæ
Ad numerum ſaliunt, ad numerumque canunt.

Weſt-

6 Pœnæ de turbatoribus publicæ tranquillitatis ſumptæ.
7 Anno 1601. ipſo S. Vincentii Prædonum copiæ cæſæ ad vicum Benhuſen.
8 Bonarum artium ſtudia excitata.

Weſtphala Pierias pubes operatur ad aras
Et litat, Aonio vota probante DEO.
Quæ modò ſingultim parco lacrymaverat imbri,
Nunc fremit immenſo Caſtalis unda lacu.
Tu, PRINCEPS, Cyrrhæ longæva ſilentia rumpis,
Ne ſerieant tacito ſqualida plectra ſitu.
Invia Tu nobis Heliconis teſqua recludis,
Culmina tu facilem ſternis ad alta gradum.
Tu pridem exulibus, Mecœnas optime, Muſis
Principe magnificam condis in urbe domum.
Tu primùm [9] SOPHICO palmam proponis AGONI,
Cingat ut emeritum laurea ſerta caput.
[10] Per te, quo ſtimulet Virtutis amantia corda,
Nobilis ingenuum gloria calcar habet.
Tu vaſtum ingeniis aperis felicibus æquor,
Tota ubi dent placidis vela ferenda Notis.
Per TE Naturæ cæcos tentare receſſus,
Et licet ignaras lucis inire vias.
[11] Quænam cœleſtes æternet regula curſus,
An ſupera aſſiduo templa canore ſonent.
An vaga nocturnis diſcurrant aſtra choreis,
An ſiſtant moto ſidera fixa polo.
Quàm variæ cœli cingant præcordia zonæ,
Et ſua quo ventos ubere mater alat.
Anne Cyteinis pudefiat Cynthia rhombis,
Queiſve ſui maculis inquinet orbis ebur.
Cur ſalſos pelagus fluctus, cur flumina dulces,
Perpetuas fontes ejaculentur aquas.
Aut quis, ne infeſtis terras ſuperobruat undis,
Temperet undoſi cærula fræna maris.

Cur

9 Gymnaſium exædificatum.
10 Gradus & honores Academici.
11 Philoſophicæ Mathematicæque diſciplinæ, ad humaniores artes adjunctæ.

Cur gravis excuſſis immugiat ignibus æther,
　Miſtave cum liquido ſanguine ſaxa pluat.
Aut quæ perpetuent Ætnæas pabula flammas,
　Quidve flagrans rutilo crine cometa vehat.
[12] Quid quod & arcanæ penetralia Theiologiæ
　Auſpiciis, Princeps, ſunt reſerata tuis?
Quid quod Weſtphalicas duce Te remeavit in oras
　Sancta Palæſtino cognita lingua Syro?
Et ſacra divinis intexta oracula libris
　Dulcius ex ipſo promere fonte licet?
[13] Quid memorem celſis ſpectandas turribus ARCES;
　Et tantùm Domino tecta minora ſuo?
Ornamenta olim pacis, munimina belli,
　Sumptibus ad cælum ſurgere juſſa tuis,
Hinc NOVA deterſo veteris ſqualore ſenectæ
　Jamque ſuo demum nomine digna DOMUS,
Regalem tectis immanibus explicat aulam
　Laxaque formoſis atria porticibus.
Quas circùm, virides ventis criſpantibus undas,
　Plaudit laſcivis ſquamea turba choris.
Flora favet, favet attiguis Pomona viretis,
　Certatimque ſuas utraque promit opes.
Utraque certatim vernantes divitat hortos,
　Floribus illa ſuis, fructibus iſta ſuis.
[14] Inde WEVELSBURGI ſolido domus ardua ſaxo
　Nubila ſublimi culmine celſa ferit.
Hæc olim à priſcis (famæ ſi credimus) Hunnis
　Poſt varios Dominum TE ſibi legit heros,
Nunc te digna domus, ſed erant magalia nuper
　Penè ruinoſo ſemiſepulta ſitu.　　　　Cir-

12 Theologia, & Lingua Hebræa.
13 Diœceſis ſumptuoſis ædificiis & operibus communita & ornata. Newhauß Arx ædificata, horti non amœni minus quam frugiferi concinnati.
14 Wevelsburg Arx magnificè conſtructa.

Circum Chaoniæ texunt umbracula quercus,
  Sylvaque vicinas occulit alta feras:
Quaſque ſub hoſpitiis celat frondentibus arbos;
  Plurima laſcivo gutture vernat avis.
Nam quid CollegI ſacras venerabilis ædes [15]
  Templaque ſublimi conſpicienda tholo?
Quæque ſtatas numeris edis vocalibus horas
  Niliacas TURRIS vincere digna Pharos?
Tecta quid auguſti memorem viſenda Lycæi [16]
  Et PATRIÆ, & vero tecta dicata DEO?
Hanc divina ſibi legit Sapientia ſedem,
  Incolit hos virtus Relligioque lares,
Hîc Sophici crebrâ celebrantur gymnade ludi,
  Doctaque quæ nullo bella cruore madent.
Hîc agiles poliunt ad bella forenſia linguas,
  Hîc ſalit à volucris fons pede factus equi. [17]
Illic facundi ſplendent Demoſthenis arma,
  Suadaque germano Cecropis ore ſonat,
Hîc Juvenum ingenuas animi formantur ad artes,
  Hîc facilis diſcit prima elementa puer,
Quamque olim Patriæ præſtantibus approbet actis;
  Virtutem à teneris combibit unguiculis.
Hîc TUA Palladii ſuperaſtans limina Templi
  A Polycletæa ſpirat imago manu.
Principe digna ſacri majeſtas eminet oris,
  Ambit honoratas aurea mitra comas,
Flexile Sarranum marmor rugatur in oſtrum,
  Et trabea ex humero pendula utroque fluit.

T Quæ-

15 Collegium Societatis JESU à fundamentis excitatum, Templum inſtauratum & viſendis operibus ornatum.

16 Ædificium Academicum in ſuas exedras aptè deſcriptum.

17 Statua Principis in Scholarum veſtibulo ejus in bonas litteras voluntatis monumentum.

Quæque tibi vivo eſt, eadem quoque marmore ſculptum
Paſcendi ſequitur ſedula cura gregis.
Nam manus una pedum præfert, manus altera librum,
Ut regat illa pedo, quos docet iſta libro.
Illam poſt multos aliquis venerabitur annos,
Verbaque non ſiccis proferet iſta genis:
Fürſtenbergiacâ, THEODORUS, origine Princeps,
(Namque illum memini cernere) talis erat,
Talis erat, neque multum à vivo abludit imago,
Eheu quod fas ſit dicere, talis erat!
Mente ſagax, [18] vultu facilis, cultuque modeſtus,
Manabat comi multus ab ore lepos
Tum quoque, cum ſeris natura fatiſceret annis,
Temporis antiqui geſta referre memor.
Pacis amans, rectique tenax, nec prodigus æris,
Et tamen in Patriæ commoda largus erat.
Oderat immodicos faſtus, ſed & oderat aſtus,
Non affectatæ ſimplicitatis amans.
Moribus antiquis, cultor Pietatis avitæ,
Certus in antiquâ relligione mori.
Non fuit impoſitis populo gravis ille tributis,
Aula ſed infletas ſobria parſit opes.
Non ſibi, ſed Patriæ genitum ſe credidit eſſe,
Communemque ſuis civibus eſſe Patrem.
Nunc cœlum colis, ô cœlo digniſſime Princeps,
Aſpectu frueris nunc propiore DEI.
Cunctaque Lunaï varium ſubjecta ſub axem
Deſpectas oculis inferiora tuis.
Virtuti imperium ſi par tibi fata dediſſent,
Tot meritis Orbis vix ſatis unus erat.
Virtuti ſi par ævum tibi fata dediſſent,
Sæcula tot meritis vix ſatis ulla forent,

18 Ingenium & mores Principis.

Sed

Sed nos indigni qui te frueremur eramus,
O semper magnis Livor iniquê viris!
Sic, nisi quæ serò nobis erepta dolemus,
Nos bona, fatali nostra stupore, latent.
At tua nunc pennis peragrat victricibus orbem
Gloria non ullo præmoritura die.
Et si quem vivo Livor subtraxit iniquus,
Post obitum duplici fœnore crescit honos.
Donec sidereis gemmascet floribus æther,
Et peragent solitas noxque diesque vices,
Dum mare consuetis repetent anfractibus amnes,
Et dubio venti prælia marte gerent.
PASTORIS THEODORE BONI, PATRIÆQUE PARENTIS,
A grata titulum posteritate feres.
Hæc & plura tuæ spectator imaginis olim
Non tacito, Princeps, verba dolore dabit.
Quò feror? unde abii? quæ me via? quove reducet?
Quò ruis in vasto cymba minuta salo?
Ante pererrato lucis pater aureus orbe
Frena fatigatis ignea demet equis,
Singula quàm memori liceat destringere versu
Condita vel sumptu, vel reparata tuo.
Tu me marmoream quondam THEODORE relinques,
Testea quæ mihi cùm præficereris eram.
Aurea Tu magni revehis mihi tempora [19] Karli,
Cæsaris Henrici tu benefacta refers.
In te Meinwerci pietas operosa revixit,
Tu verùm Imadi Præsulis instar habes!
Ergo quod Henrico, Meinwerco, Karolo, Imado,
Debeo promeritis hoc THEODORE tuis.

T 2 STRE-

19 Karol. Mag. fund. S. Henricus benef. primarius. Meinwercus & Imadus laudatissimi Præsules Ecclesiæ Paderb.

# STRENA

## KALENDIS JANUARIIS ANNI M. DC. XVI.

Reverendissimo & Illustrissimo Principi, THEODORO Episcopo & Principi Paderbornensi, Clementissimo Domino ac Fundatori, à Collegio Theodoriano Soc. JESU demississimè oblata.

# GRATULATIO

De tribus

## ANNORUM DECADIBUS

*In Principatu feliciter exactis, & quarta hoc Anno* M. DC. XVI *ineunte.*

## PRIMA DECAS

*Ab Anno* M. D. LXXXV. *ad* XCV.

### PATRIA RESPIRAT.

O Quicquid superas ævi dignissime Princeps,
Et semper Janos promeriture novos!

Ingre-

Ingreditur Divis novus ecce faventibus annus,
Et ſecum patriæ ſpémque decuſque vehit.
Annorum jam quarta decas Te Principe nata,
Integrat imperii ſeptima luſtra Tui.
Quotquot præteriti pepererunt gaudia ſoles,
Exortu cumulat lux hodierna ſuo.
Nam quis erat populi plauſus, quod ubique ſecundum
Murmur, & ominibus vota referta Tuis!
Infula cùm primùm meritos amplexa capillos,
Virtuti ſtatuit præmia digna Tuæ?
Integra tunc primis vernabat floribus ætas,
Nullaque canities tinxerat alba comas:
Cana tamen vegeto fervebat pectore virtus,
Ultra quæ canos vivere digna foret.
Quocirca votum populis erat omnibus unum,
Ut Tibi luſtra Deus vivere multa daret.
Annuit Omnipotens, &, quæ florentibus annis
Nactus eras, juſſit ſceptra tenere ſenem.
Nos, præter canos ne quid vehat ægra ſenectus,
Sollicito Superis fundimus ore preces;
Ut ſemper viridi reparent Tibi corpore vires,
Et ſemper remigret ſanguis in oſſa recens.
Sic ætas gravior juvenili fulta vigore,
Addat ad elapſos tempora longa dies.

# Altera Decas

## *Ab Anno* M. D. XCV. *ad* M. DC. V.

## Patria liberata.

Patria jam mœstos per prima decennia vultus
Exuerat, veteri pænè soluta malo.
Aggrederis Princeps vestigia tollere labis,
Neu super ulla mali sint monumenta, caves.
Agmina vicinis volitantia noxia campis,
Audebant fines carpere Marte Tuos:
Cùm tamen interea multus Tibi creditor aurem
Velleret, atque Tuas sollicitaret opes.
Nec mora: dissolvis, cunctis plaudentibus, æra,
Et non facta Tuis nomina temporibus.
Quis non plausisset sic commoda publica quæri,
Nullaque privatas lædere damna domos?
Non etenim miseris violentia sæva colonis,
Nec fallax auri Te locupletat amor;
Sed fastus ignara domus, parvoque beata,
Et parasitorum mensa perosa greges.
Quid referam patriis depulsos finibus hostes,
Et data prædonum corpora vulturibus?
Quid prope perculsam turbis civilibus urbem,
Sub Tua, damnatâ peste, redisse juga?
Errorúmne canam detractas mentibus hydras,
Clausaque doctrinæ templa profana novæ?
An positas Patribus sedes, & aperta Lycæa,
Crescat ubi studiis culta juventa bonis?
His agis, ut pacem, vel turbatura salutem,
Ne serus metuat monstra videre nepos.

O se-

O felix, quemcunque Tibi Deus annuit annum,
Et qui te ſalvo gaudia Janus agit!
Quiſquis enim patriæ Theodorum reddidit annus,
Quis neget hunc donum Numinis eſſe Novum?

# TERTIA DEÇAS

## *Ab Anno* M. DC. V. *ad* XV.

## PATRIA ORNATA.

CUm jam bis decies meſſis fudiſſet ariſtas,
Et Te bis decies Principe bruma nives;
Patria multiplici rerum defuncta periclo,
Tot contenta notis dulcis amoris erat.
Cernebat geminas viſendis turribus arces,
Ipſi quæ decori præſidioque forent.
Undique Relligio cenſu dotata perenni,
Ibat in antiquum jam rediviva decus:
Præcipue Matrem pietas complexa Tonantis,
Quæque colit panis Numen in effigie:
Muneribus quæ compta tuis florentior ibat,
Cùm referunt pompas annua ſacra pias.
Tunc omnis dulci Theodori nomine vicus
Perſonat, & fauſtas jactat ad aſtra preces.
Hæc olim perfecta dabas. quis plura requirat?
Eſt tamen, ille Tuus quod ſuperaddat amor.
Gymnaſium pridem cœtus formabat IESU:
Sed deerat ſobolem poſceret unde novam.
His, veluti teneras poſſint ubi pangere ſtirpes,
Uberis aſſignas pinguia culta ſoli.
Quid poſt hæc agitas? nimirum, tota quod olim
Saxoniæ tellus prædicet Heſperiæ.

Omnis enim regio, quam Rheni hinc alluit amnis,
Quam liquidis, alia parte, Viſurgis aquis,
Nullas, quæ Sophiam colerent, numerabat Athenas.
Vænibant alio ſub Jove mentis opes.
Annuit Auſonio Præſul de culmine Paulus,
Et dat Muſei condere jura novi.
O Te ter felix Academia nata parente!
Nata diu vivat, vive diuque Parens.

# QUARTA DECAS

## *Ab Anno* M. DC. XVI.

### PATRIA FELICITATEM SPERANS.

JAm ſol ridenti ſolitò formoſior ore
Pandit purpureas ad nova ſecla fores.
Egreditur nova lux, nova ſpes, nova Principis ætas,
Aureus ex alto temporis ordo redit.
Sic tua promeruit virtus, ſic inclyta facta,
Semper in illuſtri vivere digna die.
Et quoniam teneræ ſtudiis ſervire Juventæ,
Tot tibi præ curis, maxima cura fuit,
Optamus, Deus ut de noſtris detrahat annis,
Producat vitæ ſtamen ut inde Tuæ.

# PIA JUSTA

*Reverendissimo atque Illustrissimo Principi ac Domino,*

# D. THEODORO

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,

## EPISCOPO PADERBORN.

PATRI PATRIÆ,

Collegii Societatis JESU, ac Domus probationis, nec non Academiæ Paderbornensis

## FUNDATORI & PARENTI,

*In ante diem Iduum Decembr. Anni* cIↄ Iↄ cxIIx. *publico bonorum omnium luctu elato,*

SOLUTA

A Collegio Academico Societatis JESU Paderbornensi.

Indictio Funeris.

I PRÆCO, I FAMA,

FUNUS INDICTIVUM EST

REVEREND. ET ILLUST. PRINCIPI AC DOMINO

D. THEODORO

E NOBILI ANTEIQUA FURSTENBERGIORUM FAMILIA SACRI ROMANI IMPERI PRINCIPI PACIFICO, B. ECCLESIÆ PADERBORNEN. PONTIFICI RELIGIOSO, PATRI PATRIÆ, CIVIUM PARENTI, POPULO IN DELICIIS, COLLEGII SOCIETATIS, DOMUS PROBATION. ACADEM. PADERB. AUTORI FUNDATORI MUNIFICENTISS. LIBERALISSIMO, IMMORTALIS MEMORIÆ PRÆSULI,

QUI POSTQUAM

VIXIT ANNOS LXXI. MENSEIS III. PIE CASTE
REXIT ANNOS XXXIII. MENSEIS VI. DIES XXIIX. FELICITER

LETHO DATUS EST

PRIDIE NONAS XBREIS, ANNO GRATIÆ cIↃ IↃc XIIX,
QUIBUS EST COMMODUM IRE, JAM TEMPUS EST;

NUNC EX ARCE ECFERTUR.

T U-

# TUMULI

## Piis Præsulis Manibus, caris Principis exuviis erecti.

*Patria beneficiorum acceptorum memor Patri suo P.P.*

## MAUSOLEUM.

Nobile Mausolo struxit Regina sepulcrum,
  Laude quod immodica Cares in astra ferunt:
Utque vel absumpto carie, senióve peresо
  Mnemosyno, posset conjugis esse memor,
Semicremata rogo mirantibus extulit umbris,
  Expositoque oculis condidit ossa vitro;
Quin vitro effusas avido bibit ore favillas,
  Posset amati aliquam partem ut habere viri.
Hæc Regi Regina suo: quod amabò parenti
  Mnemosynon statuet Patria grata suo?
Se TIBI destituit: Tua Filia, Mausoleum
  Post obitum PRINCEPS est THEODORE Tuum.
Non hoc Illa Tibi, sed Tu Tibi surrigis ipsi,
  Tu Mausolei conditor ipse Tui es.
At quodnam adlambet bustum? quos hauriet artus
  Ignibus ereptos? quem cinerem illa bibet?
Non licet illatos adytis penetralibus artus,
  Non licet egestâ tollere corpus humo:
Quin tumulo adspersos cineres legere ore veretur,
  Et Maneis metuit sollicitare pios.
Ne tamen uxori Tua cedat Filia Regis,
  Ista viri cineres vult bibere, illa Patris.

Dum

Dum Tua poſtgenitis transſcribit facta loquenda,
Eripit ex avidâ PRINCIPIS oſſa pyrâ:
Dum memori virtutem animo, moreſque reponit,
Cernit in oppoſito PRINCIPIS oſſa vitro:
Dum grato benefacta ſibi data pectore condit,
Haurit in aurato PRINCIPIS oſſa ſcypho.
Mauſoleum ingens, omnique perennius ære,
Quod tanto ſtatuit Filia tanta Patri!
Hic Tibi communis functo benè munerè Pàtris,
Patri, dum vivet Patria, vivet Amor:
Hic Tibi ſupremi functo bene munere Mýſtæ,
Myſtæ, dum vivet Patria, vivet Honor.

# PRÆSULI

Optimè de ſe, de univerſo Clero merito, admodum Reverendum & prænobile Cathedralis Eccleſiæ Capitulum.

## EPITAPHIUM.

SAnguine quo fueris, qua ſtirpis origine cretus
Trabs docet, & geminæ penna jugata Trabi.
Munere quo fueris, quo pridem functus honore,
Crux docet, & geminæ Mitra jugata Cruci.
Quæ pietas, loquitur Cidaris; quæ vita, Tiaras;
Quàm facili Clerum rexeris arte, Pedum.
Solum internam opus eſt mentis proponere formam,
Ne virtutum inſtar nobile fata premant.
Hanc utinam ad vivum poſſet rupi indere ſculptor!
Pulcrius hôc nullum marmor in orbe foret.
Facta fidem ſuperant, virtus encomia vincit,
Nulli illam fas eſt ore vel ære loqui.

Hoc

Hoc tantum, si quod Templisque, Arisque dedisti
Jam repetas, & si creditor esse velis,
Nil par impensis, meritis nil grandibus æquum,
Tota Diœcesis quod dare possit, habet.
Nos autem Tua cura olim, dum vescimur aurâ:
Dum ferient oculos marmora mœsta pios;
Æternùm innocuas SALVERE jubebimus umbras,
Et requieta levi membra VALERE solo.
Et ne venturis hæc quisquam nesciat annis,
Postgenitis volùmus marmora muta loqui.

Collegium & Domus probationis Societatis JESU Paderborn.

# FUNDATORI PARENTI

*Optimo & liberalissimo.*

F. F. M. M. L. P. P.

# CENOTAPHIUM.

NOn tibi sarcophagum, aut plenam componimus urnam,
Exoptatum alibi Tumba cadaver habet.
Hic solùm lacrymis Tumulum humectamus inanem,
Et quia nil Tui adest, nil nisi flere juvat.
Tu vivus Templumque, Domumque, Scholamque dedisti,
Quod nostrum est, donum est, ô THEODORE, Tuum.
Ista dabas vivens, obitâ quid morte relinques?
Mortane munificam claudet avara manum?

Quæ

Quæ Tibi dilecti ſervabunt pignora Nati,
  Patris ut hæc, dicant, ſunt monimenta mei?
Cui dabis exanimes artus? cui dulce relinques
  Exuvium? cineres quæ teget urna Tuos?
Omniane adſcriptis tranſdes heredibus oſſa?
  Nil Nati poterunt Patris habere ſui?
Non digitum antiquò fas eſt incidere ritu,
  Pallidave in molli colligere oſſa ſinu?
Cor nobis utinam tantùm licuiſſet humare!
  Succenſum noſtri Cor quod amore fuit.
Fecit id Henricus Franci inclyta gloria Regni,
  Delphon ut erigeret Pindarus iſte novam.
O quoties aliquis ſacras aditurus ad aras
  Dixiſſet lacrymans: Cor benè molle cuba.
Aut in Pyramidis cono felice locaſſet,
  Ut Cor ſublimis grande referret apex:
Aut etiam ipſe ſuo geſtiſſet condere corde,
  Uſque memor Cordis poſſet ut eſſe Tui:
Et caret invidiâ pietas quod ſuadet: amoris
  Ambiviſſe fuit, ſed caruiſſe dolor.
Verùm habeant alii, Cor cetera membra ſequatur,
  Ne pia dividuâ membra tegantur humo,
Tu cape Cor noſtrum, Princeps, hoc conde ſepulcro,
  Ut ſit ibi noſtrum Cor, ubi noſter Amor.

A C A-

# ACADEMIA PADERBORN.

Magnificentissimo & Clementissimo suo

AUTORI AC MOECENATI.

*Ex Populo, Olea & Myrto*

## SEPULCRUM PYTHAGORICUM.

POpulus invicti fuit olim roboris index,
Almæ hieroglyphicum Pacis Oliva fuit.
Panthoïdæ æternum Myrtus signavit amorem,
Unde Tria inferias Manibus ista dabat.
Quid Tibi Athenæum sacret, Illustrissime PRINCEPS,
Officii statuat quæ monimenta pii?
Quam fundata Tibi Sapientia dedicet urnam?
Quæ ponat meritis Mnemosyna æqua Tuis?
More Tibi Samio ternas Academia frondeis
Adstituit, mentis symbola grata suæ:
Populus Herculei cingat Te roboris index,
Est illa invicto digna corona viro.
Te neque Lerneo perterruit Excetra rictu,
Nec septemcipiti vertice vicit Hydra;
Improba Saxonico proruperat illa Cucullo,
Nixa minace Tuum dente ferire gregem,
Jamque vomens igneis, jam sibila colla retorquens,
Ibat ovans Princeps implicitura caput.
Cum Tu obluctantem frustrà complexus hyænam
Forti elisisti guttura panda manu.
Phineas etiam monstra infestantia mensas,
( Qualia inesa fame terra Batava fovet: )

Zetus

Zetus abegisti, & Stymphalia monstra trucidans
  Eripuisti avidæ semivorata gulæ.
Ambiat ergo Tuam fortissima populus Urnam,
  Evireat Manes populus ante Tuos.
Ponè illam adserimus ramum pacalis Olivæ,
  Nam dum vitam ageres frons ea grata Tibi,
Commissos altâ Civeis in pace regebas,
  Cum Toga visa Tibi est gratior esse sago.
Servasti æterno semel ictam fœdere pacem,
  Quàm neque lis, neque vis, nec mala solvit Erys.
Sæpe intentatum repulisti Pallade Martem,
  Ut regeres hostes Marte, sed arte Tuos.
Cum sedanda Tibi belli civilis Enyo
  Justaque plebeius posceret arma furor.
Vis illata ensem strinxit, Moderatio rexit;
  Posse sed eductum condere, Pacis erat.
Hæc Tibi palma duplex, uno hæc ex stipite nata est
  Arbor, in hac una est junctus Apollo Jovi,
Et quod servaris Civeis, & viceris hosteis,
  Præsulis illud erat, Principis istud opus.
Floreat ego Tuo pacalis oliva sepulcro,
  Ad cineres vireat pinguis oliva Tuos.
Restat adhuc Myrtus, veri nota Myrtus amoris,
  Supremus de Te jure triumphat Amor.
Ille calens duplici moribundo in Principe flamma
  Ferbuit, ille hominis, Numinis ille fuit.
Vos ego, quos duris urgens in rebus egestas,
  Quos vago Anancitis pressit iniqua lare:
Vos ego inexhausti testes affabor amoris,
  Dicite, (scitis enim) Principis ecquis amor?
Quo me Myrte rapis, Cœlo gratissima Myrte?
  Arbor Erotis eras, Principis arbor eris.

In nos illa Tuum, Nostrum in Te illa excit amorem,
Una illa æternùm subdit utrosque jugo.
Floreat ergo Tuæ Myrtus pulcerrima Tumbæ,
Ad tumulum vireat Myrtus amica Tuum.

# VETUS CAMOENA,

*Qua Illustrissimo Principi*

## THEODORO

Primam olim Padibornæ Mitram gratulatus, nunc eandem libentem volentem iterato plectro salutat veteranus idem Musarum Sacerdos,

*R. P. Martinus Becanus è Soc.* JESU, *tempore electi Principis Professor Paderbornæ.*

Ecce tibi, Princeps, toties è deside prælo
Musa verecundum jussa subire diem.
Triginta pluteo latuit prope clausa DECEMBRES,
Ex quo prima Tuo luserat illa PEDO.
Nunc pænè exanimem revocas in luminis auras?
Quis Mecœnatem TE MARO non redamet?
Si desit plausus; sat erit tibi carmine nondum,
Quo juveni placuit, displicuisse seni.
Sed tersæ fors est aliquantò antiquius auri:
Quid mirum? veterem tangit arundo chelyn.

## DEO, PRINCIPI, PATRIÆ.

*An.* M. D. LXXXV.

INclyta cum ſacro gaude PADIBORNA Senatu,
Et præſens toto læta ſit orbe dies,
Nobilis antiquâ ſerie THEODORUS avorum
Præſulis officium Pontificale tenet.
Cernitis armorum chartâ ſpectabilis iſtâ
Quæ novitas, ſceptri quæ ſit imago novi?
Mitra decens habitum fibris diſtincta duabus
Quid, niſi quod cleri ſit caput ille, docet.
Jungitur effigies rubræ crucis. ecquid in illâ
Præſes odoriferi ſigna cruoris habet?
Scilicet ut vigili Paſtor tuearis amore,
Quas Chriſtus lacerâ carne redemit oves.
Si lupus accedat prædæ præſentis avarus,
Ecce PEDUM manibus pontificale tenes.
Percute, quid metuis? trabibus ſuffulta duabus
Vis tua: quid trabibus firmius eſſe poteſt?
In trabibus Chriſtus ſævo tulit hoſte triumphum,
Junge trabes (Chriſti crux erit illa) duas.
Quid tibi, Mecœnas, de talibus eloquar armis,
Unde novos titulos, nomen & illud habes?
Singula qui latum partitur regna per orbem,
Ille tibi partem Præſul in orbe dedit.
Roma ſubeſt SIXTO quinto; de montibus altis
Legitimum Dominum te Padiborna vocat.
Qui fueras igitur, jam non eris amplius idem,
Mortales animos excute, numen habes.

Ac velut in celsâ Deus omnia sede gubernat,
  Sic tuus in celsâ sit quoque sede thronus.
Altiùs à populo superis speculatus in astris
  Ut videas oculis subdita, fige pedem.
Aut juga præcipitis scandas sublimia montis,
  Conveniens rectè sic tibi nomen erit.
Sic poteris meritò Princeps à Monte vocari,
  Nobile FURSTENBERG qui modo nomen habes.
Omnia per montem fieri jam posse videntur,
  Quæ nostris oculis utiliora forent.
An non Pontificem, qui nunc est SIXTUS, ab alto
  Monte etiam nomen constat habere suum?
Sunt tibi cum SIXTO communia nomen & omen,
  Montis uterque sacri pastor uterque sacer.
Adde quod electi quoque tempore sitis eodem,
  Vix absunt menses inter utrumque duo.
Te Padiborna vocat, Sixtum sibi Roma petivit:
  Ecce quod augurium Præsul id esse putas?
Quæ novitas isthæc? si facti causa petatur,
  Conjunctis animis vos Deus esse cupit.
Junctaque pro populi committere bella salute;
  Et pro Romanâ relligione mori.
Vivite felices, & ab alto monte vocati,
  Jam sacri memores nominis este, precor.

## AD INSIGNIA

*Ejusdem Reverendissimi & Illustrissimi Principis.*

CRux rubra cur rubeis trabibus conjuncta duabus?
  An quia crux duplici conficienda trabe?

Vel quia crux, roſeo quam ſanguine tinxit IESUS,
Sanguineis trabibus reſtituenda fuit!
Sanguineam, THEODORE, crucem tibi donat IESUS,
Ut trabe ſanguineâ fulta ſit ipſa tua:
Hoſtis ut, in Chriſti dirus qui ſævit ovile,
Hac cruce conſpectâ te duce linquat oves.

GODEFRIDUS GROPPERUS

Suſatenſis Præpoſitus,

# CASPARO FURSTENBERGIO

*Viro nobiliſſimo, & fortiſſimo fidei Catholicæ in Weſtphalia propugnatori, contra Truchſeſium religionis Catholicæ deſertorem.*

HEros nobilium illuſtri ſate ſanguine, fortes
Inter habende viros, vir præſtantiſſime ſalve.
Haud ſecus atque rigor ferri lenteſcere flammâ
Aſſolet, uſque tui magno tabeſcere amore
Sentio cor, animumque meum accenſaſque medullas.
Scribis ut attrito jaceant hoſtilia faſtu
Pectora, nec valeant quicquam tentare; lubenter
Audio, & hæc noſtram recreant nova nuncia mentem.
Scilicet id vero prædixit carmine vates,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Purior utque refers diſpulſis nubibus aër
Induit antiquos, vultu ridente, colores;
Spes animo jubet eſſe bono, Catilina fugatus
Reſpicit incaſsùm veterum veſtigia honorum.
Weſtphala ſed pulſo requieſcit terra tumultu.

En

En quàm magna tenet ſuperas clementia ſedes,
Et quàm Numinibus tardæ cæleſtibus iræ;
Non etenim ancipiti preſſos diſcrimine linquit
Arbiter ætherius, ſed mœſta in proſpera vertit.
Quænam pro meritis referetur gratia tantis?
FURSTENBERGIACO quid nunc de ſtemmate dicam?
En tibi tot ſe dona, tot explicuêre merenti
Divitiæ, ſuperûm pleno tibi gratia fonte
Influit, ipſe tuis ne deſis partibus unquam
Invigila, patitur multum dilecta Tonantis
Sponſa, lupos cernis rabiem evomiſſe, ſceleſtis
Auſibus intermixtam; age nunc bene conſule rebus
Weſtphalicis, ſacræ bene relligionis honorem
Amplifica, memorande Heros ſic itur ad aſtra:
Sic decus immortale tibi nomenque manebit,
Cætera præcipiti labantur ut omnia curſu
Conſpicis, at parvos pro relligione labores
Laus manet, æternis non interitura diebus:
Non alios laus ulla manet, qui nocte, dieque
Infeſtant armis licet omnia more ferarum.

# EJUSDEM

*Ad Nobiliſſimum virum*

## CASPARUM FURSTENBERGIUM

in exilium à Truchſeſio pulſum.

*Elegia conſolatrix, An.* M. D. LXXXIII. 27. *Junii.*

QUæ modo Weſtphalias vaſtant mala bellica terras
Condoleo tectis incubuiſſe tuis.

Illa eadem nostris in finibus omnia perdunt,
  Atque Ubios latè depopulantur agros.
Nec tamen est animus, vel erit desistere cœpto
  Proposito, & fixum velle referre gradum.
Ut quoque sic facias, tua te constantia, virtus,
  Atque tui generis stemmata clara monent.
Degener est animus, quem ostensa pericula sternunt,
  Et trepidum dubia decipit arte metus:
Post tenebras spero lucem, post nubila Phœbum,
  Et reditura bonis sæcula prima bona:
Temporis & qui præda sumus nunc; tempore, nobis
  Quod prædæ cedet pars inimica loco.
Vidi ego permultos; amissis undique rebus
  Plura equidem nactos, quam tenuere priùs.
Si confidamus superis, & ad instar Iobi
  Omnia in ætheream conjiciamus opem:
Ex inimicorum spoliis bona plura feremus,
  Quàm sors heu! nobis nunc violenta rapit,
Ergo inter strepitus belli stet firma voluntas
  Sperans quæ mala sunt mox meliora fore,

# CARMINA
# BERNARDI LÖPER
Paderbornensis
## E SOCIETATE JESU,
In funere
## ANNÆ MARIÆ DE KERPEN
*Conjugis*
## FRIDERICI DE FURSTENBERG,
*Domini in Bilstein & Westphaliæ Archisatrapæ, An.* M. DC. LXVI. XV. *Martii defunctæ, & 9. Aprilis sepultæ in parochia Veschede.*

Hoc agendum sæpe, quod agendum bene.

Viator audi, & siste, paucis te volo;
 Ut multa discas hoc loco.
Anna hic quiescit: inclytum jubar domus
 Decusque Furstenbergicæ.
Prudens, pudica, nobilisque femina:
 Quæ vixit in negotiis
Velut otiosa; ut viveret melius Deo,
 Et hinc abiret lætius.
Quid egit? hoc quod agere mortalem decet;
 Ut ageret animam quàm optimè.
Audis viator, quid velim; ut discas, volo,
 Sæpe agere, quod agendum est benè.

*Post brevem vita longior.*

QUinquaginta annis vixisti,ô Anna, tibique est
Vita tot annorum visa fuisse brevis.
Longiùs ut vivas, moreris. Verè Anna sapisti,
Quæ procul, ut possis vivere semper, abis.

*Pace Pacis amans fruitur.*

QUæ pacem coluit, dum viveret, inter amicos,
Domesticos, ac subditos,
Noluit, ut moritur, cum dirâ fœdera morte,
Ut pacem in æternum colat.

*Virtus post fata superstes.*

TE bona sedulitas, te pulchra modestia vitæ,
Nobile te mentis robur, egentis amor,
Te pudor & pietas, te virtus arbitra morum,
Te facit æternùm vivere viva fides.

*Dum nascimur morimur, dum morimur vivimus.*

CEssit hyems,potuitque thorum mors improba vernis
Pertransire horis, Anna Maria, tuum.
Hæret & enumerat luces quas Martius adfert:
Quid facit? ut deinceps lux tibi nulla micet.
Anna cadis. Martis mors sæva triumphat in horis,
Omnia cùm incipiunt vivere, tu moreris.
Fallimur, haud moreris: cœpisti vivere primùm,
Omnia cum incipiunt te moriente mori.

# EPIGRAMMA.

Fata Maria tibi voluerunt tollere vitam.
Errarunt. vitam fata dedere tibi.
Immortalis abis, nec obis, virtute ſuperſtes:
Ad cognata præis aſtra, nec Anna peris.

## IN
## GENTILITIAS TRABES & PETRAM
*Illuſtrium Sponſorum*
## FRIDERICI FURSTENBERGII,
*Dynaſtæ in Bilſtein & Waldenburg, Conſiliarii Colonienſis, & lectiſſimæ Heroidis Annæ Catharinæ von der Leyen, An.* M. D. C. XLV.

## OMEN POETICUM.
Joannis Velde Dulmonienſis, è Societ. JESU.

Furſtenbergiacæ quamquam domus inclyta gentis
Conſiſtat trabibus ſat bene nixa ſuis;
Nunc tamen adversùm caſus ſecurior omnes
Stabit, & in cæli proferet aſtra caput:
Cum trabibus, Friderice, tuis tua ſubdit avitam
Sponſa petram, firmum quo magè firmet opus.
Nixa trabes petrâ neſcit timuiſſe ruinam;
Pulvere ſiqua levi nititur, illa cadet.

# BERNARDI LÖPER
## E SOCIETATE JESU
## CARMEN EXTEMPORALE
## CUM
## Voto nuptiali oblatum iisdem novis conjugibus.

*Omen conjunctio firmum est.*

PETRA tibi juncta est MONS PRINCIPIS: ecce quid obstat,
E petrâ Princeps quo minus exsiliat?

*Mores imitabor avitos.*

AD Paderam fulsit mitrâ Theodorus: eâdem
Joannes Trevirum clarus in urbe fuit.
Petra dedit Treviris, Paderæ Mons Principem. ab una hac
Petrâ Ioannes & Theodorus erunt.

*Vis unita fortior.*

SI duo divisi dederunt duo lumina; quidni
Jam duo conjuncti lumina bina dabunt.
Sic voveo, mecumque vovent, quos fovit uterque
Præsul apud Treviros, & Paderam socios:
Quod facimus votum, faciat Deus esse secundum.
Ex ANNA ut Princeps sit FRIDERICE tibi.

*Vita illustris ac generosi Domini*

# FRIDERICI FURSTENBERGII

*Dynastæ in Bilstein & Waldenburg, Archisatrapæ Westphaliæ & Angariæ, Consiliarii Moguntini & Coloniensis, carmine descripta.*

AUCTORE

BERNARDO LÖPER

Paderbornensi è Soc. JESU.

## *Nobilis ortus.*

UT primùm, Friderice, lucis auram
Hausisti teneris nitens labellis
Ortus nobilium domo parentum;
Lux terrena tibi fuisse visa est
Nox, & luminis umbra sempiterni.

## *Docta & pia Pueritia.*

UT cæcam fugias umbram noctisque tenebras,
Ad blanda pergis castra Musarum puer.
Te puerum ducit Pietas: tibi lucet eunti
Doctrina facibus ingenI lustrans vias:
Miratur parvo præcelsam in corpore mentem,
Figitque sedem, ut vividam exornet domum.

Philo-

## *Philosophica adolescentia.*

DOctrina & pietas te Sapientiæ
Florentem ingenio sistit ad oscula;
Illustri residens illa throno manum
Sceptro deposito porrigit auream,
Teque ad summa jubet tendere culmina,
Et spectare sui tecta Palatii.
Arrident placidis vultibus optimæ
Virtutum comites, Ars, Ratio, φύσις,
Et quæcumque φύσιν vincere posteros
Stagirita docet; nil leve cogitas
Rerum, quas peragas, natus ad ardua.

## *Prudens Juventus.*

POstquam Socratico pulvere nobiles
Ad palmas toties te Sapientia
Victorem revehens curriculo modum
Finemque imposuit: Jus sibi vendicat
Prudentem Juvenem. Præscia gaudiis
Exultat merito jure Themis: Virum
Nam te Justitiæ nomine nobilem
Turbis posse suis se dare prævidet.

## *Felix conjugium.*

DIctum est vetustum, quæ proba est, pulchra, innocens,
Dives, pudica moribus,
Ducenda conjux. conjuges tales suis
Theophrastus optat civibus.

Veteri

Veteri Sophorum more Fridericus ſapit;
  Refertque mores priſtinos,
Ducit modeſtam, divitem, pulchram, probam
  Virtute, genere nobilem.
Hymenæus Annam fauſtus & felix tuæ
  Friderice jungit dexteræ:
Jungit Mariam nobili Kerpenſium
  E ſtirpe, Furſtenbergico.
Fecunda vivit uxor, inſignes ferens
  Propagines & palmites.
In honore, amore, pace vivunt conjuges
  Pulchro, fideli, maxima.
Uterque vivit (ut decet) ſibi, ſuis,
  Patriæ, quid amplius? DEO.

## *Filii Inſignes.*

Est vetus à magno dictatus Apolline verſus;
  Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.
Semina majorum ſequitur generoſa propago,
  Anna Maria tibi quam, Friderice, dedit.
Ut ſolet unda ſuo ſimilis decurrere fonti,
  Sic tua progenies te, Friderice, refert.
Tu primùm Theodore adſis, ſeu dicier optas
  Caſpar: ſplendorem nomen utrumque tulit,
Et feret inde tibi: ſatis eſt meminiſſe; quod audis,
  Sæpius in ſummo nomen honore fuit
Ad Paderam, unde venis Theodori voce notatus,
  Nec minus inſignis nomine Caſpar avi es.
Tu Friderice patrem ſequeris, re, nomine, pulchris
  Moribus, eximii dotibus ingenii:

Prole

Prole quoque egregiâ, qualem Catharina decebat
Ut daret. Heu! quod avo non venit illa ſuo.
Luderet in gremio crebrò ſenis illa Parentis,
Et verſa ad patrem diceret; Ecce avus eſt.
Te qualem Guilhelme putem? quantumque futurum?
Quem Treviris gaudens & Mimigardis habet.
Ferdinande gravi vultu tibi proſpera dixit
Fortuna, egregiis moribus eſto gravis:
Et ſtudiis contende tuis, doctoque labore:
Ad Paderæ quondam flumina magnus eris.
Sors eadem læto Franciſcum pectore finxit,
Is gaudebit equis, atque Eques, inquit, erit.
Ultima, Joannes ſupereſt, ſpes gentis, Adolphus,
Patris amor, matris gaudium, amoris honor.
Nobilis hæc, Friderice, tuo de ſanguine nata
Illuſtrat totam Weſtphaliam ſoboles.
Te vivo Rhenum, Paderamque, Alphamque, Moſellamq;
Inſigni hæc proles nomine nobilitat.
Quid faciet poſt fata Patris Matriſque ſuperſtes?
Stabit in excelſo ſplendida & alta gradu.

*Filiæ Lectiſſimæ.*

ET vos feminei gloria nominis,
Queis gaudere ſolet pignoribus pater;
Mater delitiis, læta ſororibus
Fratrum turba; oculos pandite nobiles;
Spectentur veteris lumina ſtemmatis.
Tu Maria præi, primaque nobili
Huc incede gradu: caſta Georgius
Cernens Chriſtophorus pectora, Boicos
Accedet thalamos illa, ait, & meis

Vivet Virgo diu grata Penatibus.
Furſtenbergiacis protinus arcibus
Educta ad Bavarum Virgo venit ſolum,
Haſlangique ſubit ſplendida limina.
Ut mater redeat prolibus auctior,
Legatique viri munere gaudeat,
Contingit quoties cernere conjugem
Mundi inter Proceres, quos Mimigardia
Ad Pacem ſolitos pergere conſpicit.
Mariam ſequitur Barbara, quæ piè
Vitam Seraphico degit in ordine,
Et mundi illecebras temnit, & arduo
Conatu, atque viis aſperioribus
Pergit Cœlituum quærere gloriam.
Et tu virgineis greſſibus Urſula
Vultu compoſito, moribus integris,
Sinceroque veni corpore, nec ſinat
Te velare pudor virgineas genas.
Tu ſolamen ades, tu comes in viâ,
Suecorum rabiem cum Pater effugit.
Partes auſpiciis tu melioribus
Sumpſiſti nivei pectoris optimas.
Uni ſponſa DEO cernis inambulans
Virtutum comites, Heriſiæ decus,
Votis Cælituum numina de die
Et de nocte frequens poſcere pro tuis
Externiſque ſoles: ſola beatius
Vivo, inquis: repetis ſola beatius
Vivo præ reliquis virgo ſororibus.
Felix virgineo è pectore prodiit
Vox hæc; quæ numero te ſapientium
Adjunxit comitum, ſcilicet his, quibus

Ar-

Ardent perpetuis lampades ignibus.
Ad cælum properas virgineo gradu.
Duc tecum Othiliam, quam ſibi fœdere
Plettenbergiacus non violabili
Elegit ſociam perpetuam ſui
Bernardus thalami: moribus optima
Et prompta ingenio femina, cælitum
Et virtutis amans, omnia fortiter
Prudenterque gerit munera, quæ decent
Tali in conjugio femineum genus.
Spectavit Pater hæc pignora ſæpius
Felix lætitiis non mediocribus.
Spectarent utinam pignora nunc Patrem.

## *Vita Domeſtica.*

VItam quæ faciunt beatiorem
Sunt tranquilla domus, quieta conjux,
Virtutes pietaſque liberorum,
Ad nutum Domini parata turba,
Et ſuave imperium, probique mores;
Cultus cælituum, reique ſacræ
Indefeſſus amor, Deique honores,
Veſpertina precatio, diurni
Ad cælum gemitus, Eöa vota,
Hæc fecêre domi beatiore
Ut vitâ Fridericus imperaret.

## *Vita Publica.*

PUblica nunc adſint, Friderice, negotia, magno
Quæ tractaſti animo Heroum verſatus in aulis.

Prin-

Principibus placuisse viris non ultima laus est;
Principibus placuisti; ingens tibi gratia rerum
Quas ageres concessa fuit: tibi gloria rebus
Non minima accrevit faustè ac feliciter actis.
Postquam inter magnos cœpit fulgere Swicardus
Pontifices, Moganûm illustrans virtutibus urbem:
Te Friderice virum legit, præque omnibus unum
Ad triplicis mittit regalia mœnia Pragæ.
Rudolphum summo spectantem è culmine gentes
Accedens, hinc grata refers Regalia lætis
Auspiciis. fausta hæc magnarûm exordia rerum
Nobilitas, rursum ad Rudolphum missus eundem;
Imperii Proceres rapidus cum cerneret Ister.
Dein ubi Germanis Rudolphum dura tulerunt
Fata, Moguntino Swicardus jure vocavit
Ad Mœnum, quos ampla solet Germania septem
Appellare viros. tum te Friderice Swicardus
Lugubri Rhenum jussit descendere pinu
Cæsaris ut mortem referas; & Ferdinandum
Ad nova vota cites; queis rerum summa capessens
Matthias summos justo libramine frænos
Imperii moderetur: Ubi sed vixit, adesse
Te sibi consilii rursum Swicardus asylum
Francfurti voluit, dum magni culmen honoris
Ad Mœnum Austriaco latè fulgore coruscans
Ferdinandus adit. Quis non exclamet Apollo
Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Quid Mulhausiacos memorem longo ordine cœtus?
Bellonæque Duces? quoties tua Tillius ora,
Tillius heu tristes superûm revocandus ad oras,
Ora tua, & vocem quoties fuit ille secutus,
Cum Danum adverso pugnantem Marte fugaret?

Ecquid Anhaltinus? quid Papenhemius? ille
Suecorum terror, quid si frueretur eâdem
Quâ tua progenies aurâ, quid diceret? Hic vir
Hic est, sæpe suis nostro qui profuit ævo
Consiliis, dubiisque tulit fausta omina rebus.
Ipse quid Augustos inhians Gustavus honores
Cum te spectaret legati in munere? nonne
Regi grata fuit canæ prudentia mentis?
Nec minor Hispanos tenuit miratio, quando
A Nortlinganæ reducem certamine pugnæ
Victorem Hesperii regis cum milite fratrem,
Brabantisque suum properántem reddere solem
Excipis, & sacræ vim Majestatis adorans
Grataris victos armis concordibus hostes.
Quid Ferdinandus, cui nunc Germania fasces
Credidit, hic quanto te dignabatur honore,
Cum tibi Dalmatico donavit fusa metallo
Vincla catenarum, & primævos stirpis honores
Obtulit invito: fuit hoc à Cæsare munus.
Tanti te Cæsar. quid frater Cæsaris? annon
Undique Cæsareis totam populantibus armis
Westphaliam? nunquid tua dicta stupentibus hausit
Auribus? ecquid enim verbis sapientius istis?
Gratus ades, si ades ut prosis: sin omnia vastas
Gratus abis. risit Leopoldus, & horrida Martis
Extulit è patriis examina protinus oris,
Pauperiemque, famemque, & lethi semina morbos.
Austriacis placuisse viris non ultima laus est,
Et Bavaris placuisse viris laus magna: placebat
Maxmiliane Tibi Friderici vultus, & altâ
De sobole gratantis honos; cum nomine fratris
Gratulor aiebat Phœben luxisse serenam

Boju-

Bojugenamque novâ (quod non ſine numine Divûm eſt)
Progenie claraſſe domum. quid cætera narrem
Longiùs? hoc meliorem quod ſufficit omnibus unum.
Supremo placuiſſe Deo vel maxima laus eſt,
Huic Friderice places, cui ſol & ſidera parent.

*Diſpoſitio ad mortem.*

REmitte Muſa turgidum metri genus,
Humileſque ſoccos indue:
Nam derelictis Principum palatiis
Fridericus ima cogitat,
Ut aſtra ſubeat. Igitur ut, cum ſolus eſt,
Hominem eſſe ſe ſe cogitet,
Valere juſſit ardua: atque annis ſuis
Poſuit Sigenæ calculos,
Animo revolvens priſtinum vitæ ſtatum,
Purganſque mentis ardua.

*Mors præclara.*

ET vitæ jam finis adeſt: mors ultima rerum
Linea fata vocat.
Parcæ adſunt, animamque jubent migrare, parata
Mens Friderice tibi eſt.
Fortiter exſpectas extremæ tempora luctæ:
Victor adis ſuperos,
Conſtanti invitas ad te bis pectore Chriſtum:
Bis tibi Chriſtus adeſt.
Teque juvat, ſuperans ut atrocem viribus hoſtem
Cælica regna petas.

Viciſti, placidoque exis è corpore vultu,
Mors tibi non nocuit,
Non hoſtes nocuere truces. videt inclyta Bonna
Te ſuperaſſe necem.

*In tumulo corpus, in cælo animus.*

AN ſim hic viator, quæris? haud ſum. Tu amplius:
Ubi ergo fuerim? in ſcenicis. quid egerim?
Ludum peregi. quid jam agam? ſomnum traho:
Ubi? in ſepulchro: quam diu? donec polo
Deſcendat alto Chriſtus, & nos judicet
Me, teque mortaleſque cunctos. quid ſciam?
Nihil. Unde venerim? è loco prænobili,
Ex arce Furſtenbergicâ. cur venerim?
Hic ut quieſcam ætate grandis; proſperè
Scenâ peractâ. animus ubi ſit? hoſpes tace:
Nam curioſus quæris arcanum. tamen
Quoniam benignus eſt Deus; cælo ſcias
Animum teneri, corpus hic quieſcere.
Scis, quæ volebas. Scire nunc ego te volo,
Quæ non rogare ſolitus; hoc igitur ſcias;
Quod ſcire utroque in orbe mortales velim;
Eſſe hic quietos, & ſpei plenos bonæ:
Qui noverint ſeſe, dum agunt vitam, & ſciant
Se pulverem eſſe, bullam, arundinem, nihil.

# EPIGRAMMA

## JACOBI MASEN

Societatis JESU,

IN OBITUM

# FRIDERICI FURSTENBERGII

*Archiſatrapæ Weſtphaliæ & Angariæ, dynaſtæ in Bilſtein, defuncti An.* M.DC.XLVI. *9. Auguſti, Bonnæ.*

QUanta igitur vis eſt, quanta eſt tua, Parca, poteſtas?
Uno quæ violas ſacra profana modo:
Nempe tuo imperio Friderici corpus ademptum
Furſtenbergiacos conditur inter avos.
At virtus manet, & geſtarum gloria rerum,
Junctaque cum pulchro Pacis amore Fides.
Nulla igitur vis eſt, nulla eſt tua, Parca, poteſtas:
Quæ meliora ſinis ſtare, caduca rapis.

## EJUSDEM

# LESSUS FUNEBRIS,

*Quo plorantes ſuſpirantesque filii, optimi ſui amantiſſimique Parentis funus proſequebantur.*

## LESSUS I.

ITe oculi in lachrymas: animus ſuſpiria fundat,
Et plangant geminæ pectora mœſta manus.

Ah cecidit, cecidit vitæ pars optima noſtræ,
  Bilſteniæ cecidit culmen honorque domûs.
Furſtenbergiacæ ſtirpis decus atque columna
  Clauditur anguſti fornice ſarcophagi.
In cineres cecidit noſtræ ſpes inclyta gentis:
  Quem natura dedit, mors tulit atra patrem:
Mors tulit, & Lacheſis nimis intractabilis ungue
  Inviſo vitæ ſtamina diſſecuit.
Crudelis nimiùm quæ vulnere perculit uno
  Tot conſanguineos progeniemque viri.
Quid nobis vitam, Pater ô moriture, dediſti:
  Tam ſubitò natis ſi rapiendus eras?
Ah omnes unâ fatum nos clauderet urnâ,
  Junctaque cum patriis oſſibus oſſa forent:
Pro lachrymis funus, mortem pro planctibus optem;
  Elyſiis comes in vallibus unus ero.

## LESSUS II.

AH dolor! ah lacrymæ! tandem permittite vocem,
  Et maneat vinclis lingua ſoluta ſuis.
Te, Friderice, querar. primum poſt numina cœptæ
  Auctorem vitæ ſubſidiumque meæ.
Siccine abis, medioque tuos ſub Marte relictos
  Deſeris hoſtili ſpeſque ſaluſque plagâ?
Ecce ruunt ſævo circum nos cuncta tumultu,
  Mille metus lethi, mille ſalutis erunt:
Hîc cladem meditatur opum, meditatur honoris,
  Nec genti deſunt mille pericla tuæ.
Reſpice de cælo (ſedem hanc tenuiſſe putaris
  Cum procul à noſtro velleris orbe Pater)
Reſpice, nec differ pronas ad munera dextras,
  Quamque vides ſobolem perge fovere tuam.

Ecce damus lacrymas, lacrymis ſcio poſſe moveri,
    Et faciles nobis te dare poſſe manus.
Te, puto, non ſpernet Numen poſt fata ſupremum,
    Spernere quod nunquam tu mihi viſus eras.

# ODE

## JOANNIS VELDE

Dulmonienſis, è Societate JESU,

*In mortem nobiliſſimi viri,*

## FRIDERICI FURSTENBERGII

*Weſtphaliæ & Angariæ Producis, Domini in Bilſtein.*

SIc eſt: citantem nemo, potentiâ
Quamvis curuli fulgeat, aut manu
    Sceptrum coruſcet, lite victor
        Ad Puteal Lacheſin recuſet
Sequi. ambulandum eſt omnibus in forum,
Quà Prætor amplam commovet Æacus
    Urnam, ſalutaremque ſcribit,
        Triſte reis nocuamque ceram.
Namque ulla plenas ſi chalybis Deæ
Mollire leges, ſcitaque ahenea
    Immitis ornamenta poſſent,
        Intrepido Fridericus ore
Adhuc ſuperſtes luminis aurei
Captaret auras, atque petentibus
    Adhuc Erygri Lenneique
        Jura daret moderans Achivis.

Non sanguis illum ductus ab ultimo
Clarus Wichindo, non propior satus
A gente Burgi quæ Vetusti
Nomen habet, dominoque nutu
Latè Visurgis littora temperat,
Non clara virtus solvere legibus
Quivit severis, non repostus
Ipse animo interiore Phœbus.

## JACOBI MASENII
è Societate JESU
## *ELEGIA*,
In mortem perillustris ac generosi Domini
## D. FRIDERICI
## BARON. A FURSTENBERG,
*Serenissimi Elect. Colon. consiliarii intimi, satrapæ in Bilstein, Waldenburg & Fredeburg, Domini in Schnellenberg, Watterlap & Herdringen, &c.*

Nox erat, & densis solem tumulaverat umbris
Pallida Cimmeriis Cynthia vecta rotis.
Jamque quietifero fecunda papavera succo
Sparserat humenti lapsus ab axe sopor.
Morpheus à tergo, cœcâ in caligine pictor,
Funestis animum lusit imaginibus.
Mons sublimis erat, quò me dux Phœbus agebat,
Qualis Apollineo Cyrrha habitata choro:
Aut qui Pieriis sudat mons Thessalus undis,
Collibus affinis maxime Pinde tuis.

Sed

Sed tamen ad Rheni latices, umbrosaque Tempe,
  Angaricis ubi se frondibus ornat humus.
Quà Furstenbergam silvis famulantibus arcem
  Prospicit, & fuso diluit amne latus.
Huc genio ductore sequor, qui gentis avitæ
  Tutor, ad obsequium posteritatis erat.
Nobilis ingenuâ species in fronte micabat,
  Majus & humano fulsit ab ore decus.
Nephthaliden qualis juvenem Raguëlis ad aulam
  Incolumem duxit, restituitque Patri.
Nil moror: enixus teneo fastigia Montis,
  Molliter acclivi, quà patuêre, viâ:
Hîc se planities lauro, myrtoque virenti
  Cincta, coronato pandere visa jugo.
Fons erat in medio vitreis crystallinus undis,
  Quem fecunda parens parturiebat humus,
Hoc de rore suos potabant Naïdes agros,
  Sæpius hoc biberat sobria fonte Dryas.
Hinc suus arboribus succus, fomentaque plantis,
  Floribus inde vigor, frondibus inde viror.
Silva caput fontis raris lectissima plantis
  Cinxerat, & viridi sparserat orbe comas.
Grandius Arboribus senis decus: inclyta quales
  Natura in pratis finxerat Hesperidum.
Jam procera suis quævis adoleverat annis,
  Frondis & umbrarum luxuriante toga.
Altior una tamen reliquas superaverat omnes:
  Sit licet annorum conditione minor.
Mirabar, Zephyros inter, plaudentibus alis,
  Penè locuturo murmure quamque rapi.
Huc volucrum prolapsa cohors habitacula fixit,
  Altera nidificans, altera carmen ovans.

Et Philomela ſuas hic pangere noverat odas,
  Et Fringilla ſuum conduplicare melos.
Blanda ſerenatos afflaverat aura tepores:
  Ridebat, placido ſole favente, ſolum.
Hæc ego dum fixis oculis ſpectator oberro,
  Et mens deliciis ebria conſequitur.
Dux meus artifici plantarum corpora ſcalpro
  Raſit, & arboribus nomina culta dedit.
Quæ prior eminuit FERNANDI in cortice nomen
  Prætulit, auguſtis irradiata notis:
Altera CASPARUM, FRIDERICUM tertia duxit:
  Nec WILHELME tuum præteriiſſe putes:
Tu FRANCISCE bonâ ſignatus in arbore fulges:
  Ultima vox plantam pingit ADOLPHE tuam.
Ergo novis ſenſi myſteria creſcere ſignis,
  Cum vocale loqui cœperit arte nemus.
Nec modò ceſſabam ſuperos ad vota ciere,
  Uſque favens ſilvæ Numen adeſſe velint.
Creſcite, dicebam, longis plantaria ſæclis:
  Creſcite per ſeras poſteritatis opes.
Gaudeat his præſens, his poſthuma gaudeat ætas;
  Nec minor hinc ſurgat, ſtirpe favente, nepos.
Seu lætari umbris lubeat, ſeu carpere fructus:
  Flos pariat fructus, frondibus umbra cadat.
Affluat è cælo maturis roribus imber,
  Et vernis animet blandior aura flabris.
Sed mihi, quis dirus votis illabitur horror,
  Et modò conceptas eripit ore preces?
Sol trepidos mundo radios ſubducit, & atram
  Cogitur ad nubem rapta ſubire dies:
Pro Zephyro furit immitis ſub frondibus Eurus,
  Et rapit infeſtos ad ſua ſigna Notos.

Stricta

Stricta coruſcanti vibrantur fulgura cælo,
Et tremulum involvit torva procella polum:
Garrula conticuit modulatrix turba volucrum,
Hæſit in attonitis & Philomela modis.
O nimis incertis, dixi, variabilis auris
Cælorum facies, nec ſine fraude fides!
Cur priùs arridens tempeſtas cæca ſerenum
Invidet, ac tenebris gaudia preſſa rapit?
Vix ea. Cum ſubitò cælumque ſolumque fragore
Concuſſum Stygiis panditur hoſpitibus.
Oſſea mors, monſtrum horrendum mortalibus, orco
Proſilit, & dextram falce tremente quatit:
Terrifico ruit inceſſu, funeſtaque vultu,
Excidium viridi triſte minatur humo.
Peſtifer attritos greſſus latè inficit agros:
Quà graditur, pratis floſque vigorque perit.
Aſt ubi fatalem cœpit quaſſare ſecurim,
Quælibet horreſcens corpore planta tremit.
Illa minax perſtat, dubioſque aſſurgit in ictus,
Et Procerum truncis ſica timenda furit.
Te precor, exclamo, funeſtam verte bipennem:
Stirps annoſa magis falce reſecta cadat.
Illuſtres Fratrum plantæ melioribus annis
Serventur; fructus dentque ferantque ſuos.
Sed fruſtra: precibus duras obſtruxerat aures,
Et ferit in planta Te FRIDERICE Tuâ.
Plena ſuos dederat fructus tam nobilis Arbor,
Subjectum latè nata fovere ſolum.
Hæc alimenta ſuis quondam præbebat alumnis,
Hujus in umbroſo plurima turba ſinu.
Hîc pecori dilecta ſalus, hîc advena tutus,
Hîc quoque Principibus non inamœna quies.

Ergo

Ergo ſuos ictus lento Mors improba ferro
  Dum repetit, tandem planta reſecta cadit.
Diffugiunt volucres, & inhoſpita tecta relinquunt,
  Illa ruens lato cuncta fragore replet.
Intremuêre comis, mœſtúmque horreſcere viſæ,
  Vicinum plantæ quæ tenuere nemus.
Ut tamen eſt ſubmota ſolo, patuere minores
  Plantarum quinæ, quæ tenuere ſolum.
His ubi Mors eadem viſa eſt intendere ſicam,
  Dux meus objectâ disjicit æra manu.
Tolle, inquit, funeſta meo ſpectacula monte,
  Hoſtia, quæ cecidit, ſit ſatis una tibi:
Una tibi ceſſit ſublata hinc nobilis arbor,
  Unius plures fas reparare vicem.
Non periit, quæcunque perit cùm fœnore planta;
  Germine dum poſito multiplicata redit.
Quin etiam decus æternum præſecta tenebit,
  Arbor regali conſtituenda domo.
Surget inauratas inter miſcenda columnas,
  Et ſimul accipiens conferet illa decus.
Interea fratrum reliquas ex ordine plantas
  Fecundo vernans imbre ſovebit ager.
Et polus affuſo recreabit leniter æſtu,
  Nec non ventorum mollior aura reget:
Ut neque deciduo flos evaneſcat honore,
  Frondeat aut ſolâ luxuriante comâ;
Sed paſſim det planta ſuos uberrima fructus,
  Quos præſens ætas, poſteritaſque legat.
Dixerat, & medio victor jam Phœbus Olympo,
  Blanda reproductis exerit ora jubis.
Viſa ſuas retro tempeſtas vertere nubes,
  Et placidum totâ reddere fronte polum.

Ven-

Ventorum cefsêre minæ, mors pallida flexit
  Terga, ſuis rurſum floribus arva nitent :
Et mihi diſcuſſo rediit mens integra ſomno,
  Cumque ſuis tenebris fugit imago diem.
Non tamen hæc vanis luſerunt ſomnia ſignis,
  Delituit ficto ſchemate triſte nefas.
Heu dolor! hæc noſtræ ſimulacra fugacia vitæ,
  Lugendæque necis, quâ Friderice jaces.
Tu ſpes magna domûs, Tibi poſteritatis honorem
  Crediderat: primo ſpem modò flore rapis.
Te pietas & avita fides erroribus hoſtem
  Fecerat, & ſanctâ relligione patrem.
Principibus fecit prudens ſapientia carum,
  Et bona ſors fratrem Principem habere dedit.
Et peperit tales illuſtri ex ordine Fratres,
  Unica quos virtus nobilitare queat.
Hunc ſubitò abrumpit Tibi Mors duriſſima curſum,
  Nec tantâ patitur livida ſorte frui.
Tu tamen invidiam ſuperas, Mortiſque ſagittas
  Tranſiliens vitâ jam meliore ſapis.
I, fruere, & noſtras quando memor adſpicis oras,
  Imbue ſupremi pectus amore Dei.

EJUS-

# EJUSDEM

Epigraphæ genealogicæ Stemmatis FURSTENBERGICI, honoris observantiæque gratia oblatæ,

*Celsissimo ac Reverendissimo Principi ac Domino*

# FERDINANDO

Dei gratia Episcopo Paderborn. Coadjutori Monaster. S. R. I. Principi, Com. Pyrmontano & lib. Bar. de Furstenberg,

ET

*Reverendissimis atque Illustrissimis suæ Celsitudinis Fratribus*,

FRIDERICO Consiliario intimo Coloniensi & Paderbornensi, Satrapæ in Fredeburg, Bilstein & Waldenburg, Dynastæ in Oberenkirchen, Advocato hereditario in Graffschafft, &c.

THEODORO CASPARO Moguntino & Spirensi Canonico, ac Consiliario, Regis Catholici olim Chiliarcho legionis equestris,

AC

WILHELMO Alexandri VII & postea Clementis IX summorum Pontificum Cubiculario intimo, Præposito Monasteriensi, Chorepiscopo Trevirensi, Canonico Salisburgensi & Paderbornensi, &c.

FRANCISCO WILHELMO, Ordinis Teutonici archicommendatori per Westphaliam, commendatori in Mulheim & S. Georgii Monasterii, Consiliario intimo Paderbornensi.

ET

JOANNI ADOLPHO Hildesiensi, Monasteriensi ac Paderbornensi Canonico ac Camerario, Præposito S. Crucis in Hildesheim, Satrapæ in Bilstein, Waldenburg & Fredeburg, &c.

Lib. Baronibus in Furstenberg, Schnellenberg, Watterlapp & Herdringen, Dynastis in Oberenkirchen, Advocatis hereditariis in Graffschafft, &c.

*Diversi ex Furstenbergicâ stirpe Majores, nullo nobilitatis vitio degeneres, suis singuli virtutibus eximii proponuntur, suis breviter elogiis ad exemplum posteritatis continua serie exhibiti.*

NOn leve præclaris pondus virtutibus addunt
Illustres priscæ nobilitatis avi.

Cla-

Calcar honoris honor, ſtimulis exempla laceſſunt:
Quâ fixêre pedem, nos juvat ire viâ.
Degeneres Aquilæ nunquam peperêre columbas.
Quod cedri pariunt germina, cedrus erit.
Deficiens patrias oleaſter rarus olivas
Cenſet, & antiquum vite labruſca genus.
Conſtant magna ſibi, vos clarâ ex ſtirpe Nepotes
Statis adhuc dignæ poſteritatis honos.
Ite, licet, per pulchra retrò veſtigia Patrum,
Sit quoque virtutum majus eundo decus.
Æmula natorum ſperatur gloria. famam
Reddere, cum famæ fœnore, laudis erit.
Pellæi genitor Macedûm fortiſſimus heros,
Vincendus nato, vicerat ipſe patrem:
Viſus Alexander patrem ſuperare Philippum;
Gloria, quâ vicit, gloria ſola fuit.
Pars veſtrûm devota Deo; pars eſſe propago
Seminis, & patriæ ſpes meruêre domûs.
Creſcite utrimque precor; vos relligione parentum;
Vos ſerâ digni poſteritate patres.
Plurimus in vobis ſurgat Theodorus, avorum
Et decus, & mitræ gloria rara ſuæ.
His quoque Fridrici creſcant venientibus annis,
Nec partu jaceat deficiente domus.
Sic ſuperi jubeant, ſic quos memoramus avitâ
Stirpe Patres, cælo non renuente, velint.

## FRIDERICUS I. *Animoſus.*

Symbolum. *Quævis fortuna ferenda eſt.*

NAſcimur adverſis lætiſque: utrumque ferendum eſt.
Pergis inoffensâ, Dux animoſe, viâ.

Saxo-

Saxonicis [1] Ubius quondam dum ſtringitur armis,
Furſtenberga luit, diruta clade domus;
Inde tuis opibus mox Watterlappia ſurgit.
Arx animi, quâvis fortior arce, fuit.

1 Henrici Leonis Saxoniæ Ducis partibus cum adhæſiſſet adverſus Philippum Arch. Col. arx diruta fuit Anno 1180.

## HERMANNUS I. *Æquus.*

Symbolum. *Pergam quà tutius itur.*

TU NE CEDE MALIS, SED CONTRA AUDENTIOR ITO:
Juſta Engelberto cauſa Deuſque favet:
Adfuit, [2] & tuitus ſtantem eſt, tuituſque jacentem,
Furſtenberga domus, quo revocante, ſtetit.
Præmia mortales reliquorum digna laborum
Reddiderint. cælo hinc præmia juſta feres.

2 S. Engelberto Col. Arch. arcis inſtauratori, indignè demum occiſo, & vivo & mortuo adfuit, cædem cum Henrico Arch. Colon. Succeſſore ultus An. 1225.

## FRIDERICUS II. *Acer.*

Symbolum. *Adverſis adverſus.*

QUod belli Friderice acer, paciſque magiſter
Clarus oves; teſtis ſit Paderanus ager.
Martia vibrantem te ſenſit Epiſcopus [3] arma,
Dum galeam fertur præpoſuiſſe mitræ.
Indoluit Simon ita deſtituiſſe tiaram;
Quæ Furſtenbergam viſa adamare domum.

3 Simonem Epiſcopum Paderbornen. cum aliis Dynaſtis bello vicit cepitque An. 1254.

FRI-

## FRIDERICUS III. *Infractus.*

Symbolum. *Dum cedo, non frangor.*

ALea quem vario jactat Mavortia casu;
  Infracta hic quâvis pectora sorte gerit.
Furstenberga domus quater occubuisse, quaterque
  Surgere de proprio funere visa fuit. [4]
Debet Arensbergis Marcanisque illa ruinam:
  Hi cecidêre tamen; stat generosa domus.

4 Contra Marcanos & Arensbergicos Comites in bello pro Henrico Archep. Colon. aliisque stetit ab An. 1295. ad 1345.

## WENEMARUS I. *Prudens.*

Symbolum. *Nemo sibi nascitur uni.*

FUlta tuis quondam viguit Respublica curis,
  Perque tuas clades libera clade fuit.
Hoc raræ virtutis erat, communia gentis
  Commoda privatis posthabuisse bonis. [5]
Sic rebus minus ipse tuis dum consulis heros,
  Non poteras famæ consuluisse magis.

5 Friderici Colon. Arch. Consiliarius & primus Satrapa Arensbergensis, copiis ejus adversus Engelbertum Marcanum comitem præfectus, dum aliena tuetur, in propriis cladem sustinet. Moritur An. 1356.

## FRIDERICUS IV. *Fortis.*

Symbolum. *Agendum & patiendum.*

RAra simultates peperit fortuna malorum,
  Quos malè consultus vertit ad arma furor.
Unus erat pectus varios armatus in hostes,
  Et quot erant patriæ, Principis [6] & quot erant.
Augeat alter opes patriæ, ferat alter honorem;
  Omnia dat, vitam qui dedit ipse suam.



6 Friderico Arch. Colon. variis in belli casibus, etiam adversus Paderbornensem adhæsit An. 1390. & seq.

## HERMANNUS II. *Pius.*

Symbolum. *Plusquam præsentia cures.*

ARma tulit miles, [7] positis sed mitior armis,
Munera servandis Manibus ampla tulit.
Dura secururæ movêre piacula vitæ,
Ad bene flectendos hac pietate rogos.
Functorum quicunque memor, sic funera mollit,
Æternum in vivis nomen habere meret.

7 Theodorico Arch. Colon. in bello Susatensi adfuit, sed demum pietati & fundandis sacrificiis pro defunctis intentus moritur An. 1471.

## WENEMARUS II. *Gravis.*

Symbolum. *Virum facit virtus.*

IN paucis te rara virum sapientia cælo
Extulit; [8] uxoris nec minor illa tuæ.
Scilicet exemplum pietatis femina magnum;
Tu simul exemplum relligionis eras.
Nec fuerat laudum pars hæc postrema tuarum;
Vir gravis, at nulli creditus esse gravis.

8 Ipse sibi Deoque vivens, uxorem Cordulam de Galen raræ sanctimoniæ feminam habuit. Ille moritur An. 1434. 23. April. hæc 1516. 4. Decemb.

## FRIDERICUS V. *Pacatus.*

Symbolum. *Cedant arma togæ.*

NOn te per cædes rapuit Mavortius ardor,
Ingenio placuit mitis oliva tuo. [9]
Sic pietas, sic pacis amor super æthera vexit,
Terricolis gratum cælicolisque virum.
Sidera compositis dum scanderet Icarus alis,
Quàm cuperet pennas tunc habuisse tuas!

JOAN-

9 Consiliarius Hermanni Archiep. Colon. & Satrapa Werlensis. moritur An. 1543. 3. April.

JOANNES ABBAS Sibergensis. frater. *Religiosus.*

Symbolum. *Bene qui latuit, bene vixit.*

CLara Sibergensi quamvis fuit abdita claustro,[10]
In latebris virtus fulserat illa tamen.
Ordinibus multum sacris debere videris:
Sed tamen & sanctus debitor ordo tibi est.
Tu lucem virtute tuâ, lucem ille refundit,
Evehis illius nomen, & ille tuum.

10 Alter ejus loci fundator mortuus An. 1549. 7. Decemb.

FRIDERICUS VI. Satrapa in Bilstein, &c. *Integer.*

Symbolum. *Plus ultra.*

TE magni Proceres, te Regum curia vidit,
Officio gravium munus obire Ducum.[11]
Seu belli seu pacis habes legatus honorem,
Integra mens semper consiliumque tibi est.
Multarum integritas, post dura pericula, rerum
Integritas vitæ creditur esse tuæ.

11 Quatuor Elector. Colon. Adolphi & seq. consiliarius. Cui præfectura Bilstein, &c. ære tradita. Comitiis Augustæ An. 1559. interfuit. Varias obiit legationes. Moritur 1567. 21. Martii.

CASPARUS Archisatrapa Westphaliæ & Angariæ, &c. *Fidelis.*

Symbolum. *Præsum ut prosim.*

QUid tibi relligio, quid patria debeat uni,
Quàm bene præfueris profuerisque tuis:[12]



12 Hic quinque Elect. Colon. ac trium Mogunt. & Paderbornensis Principis Consiliarius, Truchsesio cum plerisque nobilium deficientibus, inter paucos stetit, ejectus ac spoliatus omnibus, sed sub Ernesto restitutus, patriam reduxit. obiit 1618. 7. Martii.

Integra collapsis memorant nova tempora sacris,
Cum Rheni dubio fluctuat amne fides.
Hæresis illa tuum scopulis illidere gestit;
Sed proprium infregit perniciosa caput.

THEODORUS Episcopus & Princeps
Paderbornensis. frater.

*Pater patriæ, & Societatis* JESU *fundator.*

Symbolum. *Judicium melius posteritatis erit.*

TE meritis implesse tuis cælumque solumque,
Terrorem scelerum, justitiæque decus,
Testantur monumenta tuæ clarissima vitæ,
Seu Musas foveas, seu pietatis opes:
Hinc licet improlis natorum millia censes:
Teque unum memorat patria tota patrem, 13

13 Duas arces præter Colleg. Soc. JESU excitavit. Hæreticos & Padibornam rebellem compescuit, religionem pro viribus tuitus, moritur laude ac meritis plenus An. 1618. 4. Decemb. æt. 71.

FRIDERICUS VII. Archisatrapa Westphaliæ
& Angariæ, Dynasta in Bilstein. *Sapiens*,

Symbolum. *Hic nullum metuit, qui metuit Deum.*

QUod tibi displiceant hamatæ munera dextræ,
Quod nisi consultâ nil operêre manu,
Quod vitiis hostis, quod si virtutis amicus,
Infractumque malis pectore robur alas.
Quod tibi conditi sapiant pietate labores;
Cetera desipiant, hoc sapientis habes. 14

FRI-

14 Moguntini ac Colon. Elect. Consiliarius intimus, variis ab hoc & illo ditionibus præfectus. Bilsteinum, &c. in feudum accepit. ad varia comitia legatus, ubique prudens & integer. Ab Hassis captus, a Suecis demum pulsus, moritur Bonnæ 1646. 9. Aug.

## FRIDERICUS VIII.

Dynasta in Bilstein, &c. *Consultus.*

Symbolum. *Consilio & amore.*

COnsilio prudenter agis; sed amore potenter:
Utraque vis animi nobilioris inest,
Hoc tibi subjectos junxisti, illoque regentes,
His tibi devinctus nexibus orbis erat.
Magnus Agrippinæ Præsul, Trevirûm Mogonumque [15]
Obsequium laudant; sed magis astra probant.

15 Archiep. Colon. & Paderborn. Episcopi Consiliarius intimus, Patriæ imprimis amans & amatus moritur An. 1662. 7. Julii.

FERDINANDUS Episcopus & Princeps Paderbornensis, Coadjutor Monaster. frater. *Felix.*

Symbolum. *Suaviter ac fortiter.*

16 ÆGida Palladiæ jungis sapienter olivæ,
Quodque armata nequit Pallas, inermis agit.
Suaviter hinc fortis, suavisque hinc fortiter urges,
Seu tibi res gladio, seu sit agenda pedo.
Vive diu Princeps, qui tam pugnantia jungis,
Et mundo poteris conciliare polum.

16 Natus Bilstenii An. 1626. 21. Octob. electus Episcopus Paderb. dum in aula Alexand. VII. Pontif. Cubicularius intimus versatur Anno 1661. 20. April. Inauguratus 4. Octob. In Coadjutorem Monasteriensem assumptus An. 1667. 19. Julii. confirmatus An. 1668. 30. Aprilis.

## In aliud ejusdem Principis lemma pro arce Oldenburgensi usurpatum.

*Virtute & Doctrinâ.*

QUem comes hinc Virtus, comes hinc Doctrina coronat,
Judicio *felix* Urbis & Orbis erit.

Hæc geminas de ſtirpe trabes inſignia vincunt:
Hinc caput exornat mitra, pedumque manus.
His patriam fundare domum perge, inclyte Princeps,
Haud melius fulcrum poſteritatis habes.

WILHELMUS Præpoſitus Monaſterienſis. frater. *Cautus.*

Symbolum *Catè & cautè.*

OMnia cum virtus poſſit, Prudentia regnum
Obtinet, & reliquis lux bona, duxque præit.
Hinc catus & cautus Procerum celebraris in aulis,
[17] Pontificumque tibi clavis amica patet.
Quin etiam variis Eccleſia credita regnis:
His cæli clavem junge, beatus eris.

17 Alex. VII. & Clement. IX. Pont. Cubicularius intimus, legationibus diverſis clarus. Treviris Chorepiſcopus, Monaſterii Præpoſitus. Salisburgi. Paderb. Canonicus, Præpoſitus in Buſtorff & Meſchede. Prior S. Mariæ de Campeio in Alpibus Tridentinis. Monaſterienſis & Paderbornenſis Conſiliarius intimus.

*Ad reliquos tres Reverendiſſimos & Illuſtriſſimos DD. Fratres Celſiſſimi Principis Ferdinandi.*

EUge trias fratrum magnis natalibus orta,
Quos magè virtutum tollit ad aſtra decus.
Non humilem vos ire viam ſacra nomina monſtrant,
Singula divinis nobilitata notis.
Nam ſua de cœlo THEODORUS [18] dona recenſet
Magnorum ſocius, deliciæque virûm.
Raraque FRANCISCUM [19] decorant inſignia gentis,
Teutonicâ dignum munus adire togâ.

Gra-

18 Theodorus Caſparus Moguntiæ & Spiræ Canonicus, Chiliarchus quondam Regis Catholici, &c.

19 Franciſcus Wilhelmus Archicommendator ordinis Teutonici per Weſtphaliam, Conſiliarius Paderborn. &c.

Gratia JOANNIS [20] decus est. Divisit honorem,
Et fratres mansit gratia quæque suos.

20 Joannes Adolphus Canonicus Paderb. Hildes. & Monaster. Præpositus S. Crucis in Hildesheim, Satrapa in Bilstein, Waldenburg & Fredeburg.

WILHELMUS Magnus Teutonici ordinis Magister in Livonia. gentilis. *Patiens.*

Symbolum. *Ut potiar patiar.*

SEu tua belligeræ tractaret Palladis artes,
Seu tua mansuetæ dextera: magnus eras.
Digna magisterio virtus est visa fuisse, [21]
Seu premeres hostes, seu premerêre tuis.
Denique cum victus sævum paterêre Tyrannum,
Victorem Virtus sustulit una suum.

21 Wilhelmus Furstenbergius, primò Coadjutor Henrici de Galen Ordinis Teutonici in Livonia Magistri, Wilhelmum Brandeburgium bello victum cepit, eaque de causa Polonorum armis obtutus cessit necessitati, & Wilhelmum Brandeburgium Archiepiscopum Rigensem restituit; deinde mortuo Henrico factus Magnus Magister Livoniæ, variam fortunam expertus Coadjutorem ac successorem suum designavit Gothardum de Ketteler, hodiernæ Ducum Curlandiæ stirpis progenitorem. Demum captus à Moschis Vellinum arcem munitissimam obsidentibus Anno 1560. circa festum S. Jacobi, in Moschoviam abducitur; ubi nequicquam adhibitis Ferdinandi I. Imp. commendationibus, & frustra à Wolffgango Magni Magisterii in Borussia administratore, & Ordinis Teutonici per Germaniam atque Italiam Magistro, de eo in libertatem vindicando, An. 1564. missis in Moschoviam splendidis Legationibus repetitus, in carcere ærumnis & senio confectus decessit.

FINIS.

# ERRATA

*Quæ typothetæ culpâ, absentis horum Poëmatum editoris characterem non ubique assecuti, irrepserunt, Eruditus Lector, pro suâ humanitate corriget.*

PAginâ 20. lineâ 22. lege, *Naïadum*. l. 28. & 30. leg. *Martia*. p. 23. l. 22. leg. *otia*. p. 26. l. 10. leg. *Phœbeâque*. p. 31. l. 23. leg. *cineri*. p. 47. l. 22. leg. *Deciduis*. p. 69. l. ult. leg. *Tragœdiam*. p. 87. l. 20. leg. *quid*. p. 89. l. 16. leg. *Naiadum*. p. 95. l. 3. leg. *in amnes*. p. 111. num. 7. leg. 737. & dele 740. p. 122. l. 1. & 23. leg. *Senda*. p. 152. l. 27. leg. *tumultuantis*. p. 167. l. 21. leg. *volucres*. p. 181. l. 16. leg. *unâ*. p. 185. l. ult. leg. *Nuntius*. p. 198. l. ult. leg. *Pegaseolympha creata pede*. p. 201. l. 20. leg. *cubant*. p. 203. l. penult. leg. *columnis*. p. 223. l. 6. leg. *ftaret*. p. 224. l. 19. leg. *Et Casra, Scythico*. p. 225. l. 8. leg. *Mincius*. p. 238. l. 6. leg. *certat*. & l. 7. leg. *Cæcuba*, p. 241. l. 16. leg. *Virgili'*. p. 252. l. 25. leg. *Sæcula*. p. 259. l. 8. leg. *hereditarii*. p. 263. l. 12. leg. *Lycæi*. p. 290. l. 12. leg. *lepos* p. 308. l. 20. leg. *nuntia*.

$*^{8}$, $**^{4}$, A – X8, Y4

Litt. Latin.
Poetae
Germani.

